

La reconstrucción del breviario hispano-mozárabe. Propio de los santos (Adviento – Navidad)

GABRIEL RAMIS MIQUEL

SUMARIO. 1. INTRODUCCIÓN. — 2. LAS FUENTES. — 3. LOS TEXTOS.

1. INTRODUCCIÓN

Después de la reconstrucción del oficio temporal (adviento y navidad) hemos iniciado la reconstrucción del oficio del propio de los Santos. Hemos trabajado un primer bloque de fiestas de Santos, los que se celebran durante el Adviento y la Navidad, que correspondería a los meses de noviembre y diciembre; desde el primer domingo de adviento hasta la fiesta de la Epifanía.

En la reconstrucción de estos oficios, hemos seguido los mismos criterios y metodología que nos han guiado en la reconstrucción de las otras partes del oficio, y que ya expusimos anteriormente al presentar el bloque del Adviento.¹

Los oficios del propio de los Santos no presentan mayor dificultad ni una problemática específica; simplemente se trata de organizar el abundante material que nos ofrecen los oficios, especialmente los oficios matutinos al proponernos un mayor número de *missae*, concretamente en los oficios de S. Saturnino, S. Andrés, Sta. Leocadia, en la solemnidad de Santa María, en los oficios de S. Esteban, y S. Juan, Apóstol y Evangelista. Para conservar el material existente, hemos transscrito todas las *missae*, excepto en las fiestas de S. Saturnino y S. Andrés que presentan algunas *missae* incompletas.

1. Cfr. G. RAMIS, “La reconstrucción del breviario hispano-mozárabe. El tiempo de Adviento”, in *Anthologica Annua 51-52* (Roma 2004-2005) 437-440.

En algunas fiestas de Santos, concretamente S. Andrés, Sta. Leocadia y la solemnidad de Santa María, las fuentes proponen unas segundas vísperas después del oficio matutino. Recordemos que en las fuentes las vísperas preceden el oficio matutino, pero nosotros siguiendo las indicaciones del *Missale Hispano Mozarabicum*, iniciamos la oficiatura con el oficio matutino. En este caso proponemos los dos oficios vespertinos.

Un problema que ya hemos mencionado al reconstruir el oficio del tiempo de Navidad, y que no es propiamente problema de oficio sino de calendario, es el de la fiesta de S. José el 3 de enero. Esta fiesta se sobrepone a los oficios del inicio del año y a los de las letanías; proponíamos su celebración el día 10 de enero, el primer día libre más cercano al tiempo de navidad.

Con la reconstrucción de esta sección del oficio del Propio de los Santos, ofrecemos la reconstrucción completa del oficio divino hispánico (temporal y santoral) en el período que va desde el primer domingo de Adviento hasta la solemnidad de la Aparición del Señor.

2. LAS FUENTES

Las fuentes utilizadas para la reconstrucción de los oficios que a continuación presentamos son las siguientes:

AL = León, biblioteca catedral, cod. 8

L. BROU – J. VIVES, *Antifonario Visigótico-Mozárabe de la catedral de León* = Monumenta Hispaniae Sacra. Series Liturgica 5/1, Consejo Superior de Investigaciones Científicas (Barcelona – Madrid 1959).

Citamos la página de la edición.

Br Goth = *Breviarium Gothicum secundum Regulam beatissimi Isidori Archiepiscopi Hispalensis, jussu Cardinalis Francisci Ximenni de Cisneros prius editum; nunc opera Excmi. D. Francisci Antonii de Lorenzana Sanctae Ecclesiae Toletanae Hispaniarum Primatis Archiepiscopi recognitum, ad usum sacelli Mozarabum. Matriti anno MDCCCLXXV. Apud Joachim Ibarra S.C.R.M. et Dign. Archiep. Typog. Regio Permissu.*

Reproducido en Patrologia Latina 86. Citamos el número de columna.

Em 30 = Madrid, Academia de la Historia, cod. Emilianense 30

M-S. GROS, *El “Liber Misticus” de San Millán de la Cogolla: Miscel.lània Litúrgica Catalana III* (Barcelona 1984) 111-224.

Citamos el número de fórmula.

Hym Goth

C. BLUME, *Hymnodia Gothica. Die Mozarabischen Hymnen des altpurpurischen Ritus* = Analecta Hymnica Medii Aevi 27 (Leipzig 1897) reedición Frankfurt 1961.

L4 = London, British Museum, ms. addit. 30.844

J. JANINI, *Officia Silensis. Liber Misticus I. A sancta Maria usque ad Ascensionem Domini* :Hispania Sacra 29 (1976) 325-381.

Citamos el número de fórmula.

L5 = London, British Museum, ms. Addit 30.845

J. JANINI, *Officia Silensis. Liber Misticus III. Sanctorale* :Hispania Sacra 31 (1978-1979) 357-483.

Citamos el número de fórmula.

LOS = Silos, archive monástico 3

J. JANINI, *Liber Ordinum Sacerdotal* =*Studia Silensis* 7 (Abadía de Silos 1981).

Citamos el número de fórmula.

MPs = London, British Museum, ad. 30.851

M. GILSON, *The Mozarabic Psalter* =Henry Bradshaw Society 30 (London 1905).

Citamos la página de la edición.

OV = Verona, biblioteca capitular, cod. 84; London, British Museum, addit. ms. 30.852

J. VIVES, *Oracional Visigótico* =Monumenta Hispaniae Sacra. Series Liturgica 1, Consejo Superior de Investigaciones Científicas (Barcelona 1946).

Citamos el número de fórmula.

S6 = Silos, archivo monástico, ms. 6 (E)

I. FERNANDEZ DE LA CUESTA, *El “Breviarium Gothicum” de Silos* = Monumenta Hispaniae Sacra. Series Liturgica 8, Consejo Superior de Investigaciones Científicas (Madrid – Barcelona 1965).

Citamos el número de fórmula.

T35.4 = Toledo, biblioteca capitular, ms. 35.4

J. JANINI, *Liber Missarum de Toledo II*, Instituto de Estudios Visigótico-Mozárabes de Toledo = Serie Litúrgica. Fuentes IV-VIII (Toledo 1983) 13-144.

Citamos el número de fórmula.

T35.5 = Toledo, biblioteca capitular, ms. 35.5

J. JANINI, *Liber misticus de Cuaresma y Pascua*, Instituto de Estudios Visigótico Mozárabes de Toledo = Serie Litúrgica. Fuentes II (Toledo 1980).

Citamos el número de fórmula.

T35.6 = Toledo, biblioteca capitular, ms. 35.6

J. JANINI, *Liber Missarum de Toledo I*, Instituto de Estudios Visigótico Mozárabes de Toledo = Serie Litúrgica. Fuentes III (Toledo 1982) 532-538.

Citamos el número de fórmula.

3. LOS TEXTOS

BREVIARIUM HISPANO MOZARABICUM

PROPRIUM DE SANCTIS

Die 17 novembris

Ordo Psallendi in diem Sancti Aciscli, martyris, et comitum eius

FESTIVITAS

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (AL 12, 17, 478)

(Ps 3,9)

Super populum tuum benedictio tua.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Super populum tuum benedictio tua.

Collecta de psalmo III (OV 757; Em 30, 8)

Tu es, Domine, salus, et tua est salus;
hanc gaudemus nobis largitam,
hanc etiam usque in finem a te petimus largiendam;
effunde, quaesumus,
super populum tuum benedictionem tuam;
ut privetur maledictio poenae,
et ditescat in nobis fructus iustitiae.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis per omnia saecula saeculorum.

R/ Amen.

I Missa

Antiphona (AL 12; Em 30, 9; cfr. Br Goth 1247)
(Cfr. Ps 32,12)

Videbunt cum exultatione magna
gloriam Dei quae suscepit iustos,
quia fidenter servaverunt legem,
nunc in promptuariis eius,
animae eorum congregatae,
requiescant cum silentio multo.

V/ Beata gens cuius est Dominus Deus eius populus;
quem elegit in hereditatem sibi.

R/ Nunc in promptuariis eius,
animae eorum congregatae,
requiescant cum silentio multo.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Nunc in promptuariis eius,
animae eorum congregatae,
requiescant cum silentio multo.

Oratio (Br Goth 1247)

Deus, Dei Filius,
quem sancti omnes cum exultatione magna praestolantes,
visuri sunt in gloria, in qua Patri similis es in natura;
sanctorum tuorum Aciscli et Comitum eius
devote celebrantes solemnia,
peccatorum dele chirographa:
ut qui adventus tui in hoc die inchoamus gaudia,
cum eis, in illa futura beatitudine post transitum,
mereamur iucundari in patria.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 12; Em 30, 10)
(Is 66,14; cfr. Ps 96,12)

In Ierusalem cum magno solacio eritis,
videbitis et gaudebitis corde,
ossa quoque vestra velut herba renascentur.

*V/ Gaudete iusti in Domino,
et confitemini memoriae sanctificationis eius.
R/ Ossa quoque vestra velut herba renascentur.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Ossa quoque vestra velut herba renascentur.*

Oratio (Em 30, 11; Br Goth 1246)

Cum exultatione magna, Domine,
praestolamur videre gloriam maiestatis tuae,
in qua suscepti sunt sancti,
ut cum eisdem, licet immeriti,
fruamur beatitudine regni tui:
ut, quia illos praecepto legis tuae impleto,
vere scimus esse beatos,
meritis eorum nos efficias a criminibus nostris liberos.
Quo, sicut in sanctis tuis promptuariis,
animaе eorum congregatae,
cum magno requiescunt gaudio;
sic etiam nos eorum suffragiis,
mereamur sempiternae beatitudinis consolari de praemio.
R/ Amen.
Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 12; Em 30, 12; Br Goth 1247)

(Cfr. Is 66,13; Ps 113,2)

Gaudium et laetitiam tenebunt sancti;
dolor et gemitus fugiet ab eis;
ego Dominus consolabor eos, alleluia.
V/ Sit nomen Domini benedictum;
ex hoc nunc et usque in saeculum.
R/ Ego Dominus consolabor eos, alleluia.
V/ Vox laetitiae, vox sponsi et sponsae,
vox dicentium confitemini Domino exercituum.
R/ Ego Dominus consolabor eos, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Ego Dominus consolabor eos, alleluia.

Oratio (Br Goth 1247; cfr. Em 30, 19)

O gaudium magnum laetitiae sempiternae,
 Christe Filius Dei:
 quod post luctum amarum,
 sanctis tuis dulcedinis tuae praestas obtutum,
 ut dolor, et gemitus ibidem iam non habeat locum;
 nobis non merentibus,
 consolationis tandem impende remedium:
 ut qui a te elongati sumus per culpam,
 sanctorum coetibus aggregari mereamur,
 et cum eis obtainere laetitiam infinitam.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 12; Em 30, 15; Br Goth 1247-1248)

(Lc 12,37; Mt 3,10)

Beati servi illi, quos cum venerit Dominus invenerit vigilantes.

Amen dico vobis quia praecinget se et ministrabit illis.

V/ Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam,
 ipsorum est enim regnum caelorum.

R/ Amen dico vobis quia praecinget se et ministrabit illis.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ Amen dico vobis quia praecinget se et ministrabit illis.

Oratio (Em 30, 20; Br Goth 1248)

Beati vere, Domine, servi illi, et multo honore digni,

qui legem meditantes,

adventus Filii tui invenerit vigilantes.

Idcirco, quaesumus omnipotens Pater,

ut a somno experrecti,

eius praestolemur,

sicuti est, videre faciem usquequaque intrepidi:

ut quia revera exigentibus meritis,

eius non sumus digni adipisci gratiam,

intervenientibus sanctis tuis,

quorum hodie celebramus solemnia,

et hic in bonis actibus resurgamus ad vitam,

et illic ultricem evadamus aeterni ipsius iudicii iram.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

II Missa

Antiphona (Br Goth 1246; AL 40; Em 30, 293)

(Cfr. Dt 33,2)

Dominus de Sina veniet, et cum eo sanctorum millia;
in dextera eius ígnea lex.

Omnis sancti in manu eius sunt,
et qui appropinquant pedibus eius,
accipient doctrinam ipsius.

V/ Deus manifeste veniet; Deus noster et non silebit.

*R/ Et qui appropinquant pedibus eius,
accipient doctrinam ipsius.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Et qui appropinquant pedibus eius,
accipient doctrinam ipsius.*

Oratio (Br Goth 1246; Em 30, 6)

Fac nos, Domine,
sicut lilia munda in atriis domus tuae florere,
et odorem boni operis
ad exemplum piae conversationis fidelibus exhibere;
ut sanctorum tuorum Aciscli atque Victoriae praesidiis freti,
et laqueos evadamus inimici,
et aeternam beatitudinem mereamur obtinere
cum sanctis omnibus, et electis.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (Br Goth 1246)

(Cfr. Lc 2,10; Ps 32,18)

Gaudium magnum erit omnibus hominibus, dicit Dominus,
quia ecce ego venio,
ut clarificer in medio sanctorum meorum.

V/ Ecce oculi Domini super timentes eum,
et in eis, qui sperant in misericordia eius.

R/ Quia ecce ego venio,
ut clarificer in medio sanctorum meorum.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Quia ecce ego venio,
ut clarificer in medio sanctorum meorum.

Oratio (Br Goth 1246; Em 30, 10)

Cum exultatione magna, Domine,
praestolamur videre gloriam maiestatis tuae,
in qua suscepti sunt sancti,
ut cum eisdem, licet immeriti, fruamur beatitudine regni tui:
ut, quia illos praecepto legis tuae impleto,
vere scimus esse beatos,
meritis eorum nos efficias a criminibus nostris liberos.
Quo, sicut in sanctis tuis promptuariis,
animaе eorum congregatae,
cum magno requiescant gaudio;
sic etiam nos eorum suffragiis,
mereamur sempiternae beatitudinis consolari de praemio.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiatricum (Br Goth 1246)

(Cfr Ps 55,11; Ps 88,7)

Expectabo nomen sanctum tuum, Domine,
quoniam bonum est,
ante conspectum omnium sanctorum tuorum.

V/ Quoniam quis in nubibus aequabitur Domino,
aut similis erit Deo inter filios Dei?

R/ Quoniam bonum est,
ante conspectum omnium sanctorum tuorum.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Quoniam bonum est,
ante conspectum omnium sanctorum tuorum.

Oratio (Br Goth 1245)

Deus,
 qui sanctis, gloriosisque martyribus Acisclo et Victoriae,
 Ierusalem illam sanctam visionem pacis,
 ubi cum maximo solatio
 beatitudinem sempiternam obtineant, polliceris;
 ut videntes gaudeant,
 et gaudia ipsa in eis infinita permaneant:
 praebe nobis horum obtentu,
 et sanctae visionis beatitudine perfrui,
 et spiritali gaudio in aeterna requie refoveri;
 ut sicut eorum ossa, quae sunt animarum virtutes,
 herbarum more revirescunt,
 dum eorum exemplis alii incitati,
 per sancta desideria obtinent merita sanctitatis,
 ita etiam nos haec eorum sequendo vestigia,
 perveniamus ad gaudia sempiterna.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (Br Goth 1246)

(Cfr. Hab 3,3)

Dominus de Sina veniet, descendet super montem Pharam;
 et apparebit ab Oriente solus;
 ante illum vadit angelorum exercitus,
 et cum eo sanctorum millia.

Legem in dextera portans,
 ut accipient omnes de doctrina ipsius.

Ipse e thalamo suo, ut sponsus procedet,
 cuius benedictione omnis terra fructificat.

V/ Exultavit ut gigas ad currēdam viam,
a summo caelo egressio eius.

R/ Legem in dextera portans,
ut accipient omnes de doctrina ipsius.

Ipse e thalamo suo, ut sponsus procedet,
 cuius benedictione omnis terra fructificat.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Legem in dextera portans,
ut accipient omnes de doctrina ipsius.

Ipse e thalamo suo, ut sponsus procedet,
cuius benedictione omnis terra fructificat.

Oratio (Br Goth 1246-1247)

Te, Domine,
de Sinai cum sanctorum millibus venturum,
prophetarum vaticiniis audientes, exposcimus,
ut qui te ad redemptionem mundi venisse iam credimus,
venturum quoque ad iudicium,
purgatis cordibus, praestolemur:
ut, quia in manu tua sanctorum multa retributio consistit,
in remedio pietatis tuae,
reditus ad te peccantium cumuletur;
qualiter appropinquantes pedibus tuis,
satiemur semper doctrina intimae visionis.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psalmus L

Antiphona (AL 14; 417; Em 30, 29)
(Cfr. Ps 50,20)

Aedificantur muri tui Ierusalem, tunc acceptabis sacrificium
iustitiae.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Aedificantur muri tui Ierusalem, tunc acceptabis sacrificium
iustitiae.

Oratio (Br Goth 1000, 1169)

Redde nobis laetitiam salutaris tui, Domine;
quam amisimus inique gerendo,
et praetermissimus negligendo:
tu nos ad eam revoca, et eam nobis restaura,
ut peccato expulso, succedat iustitia;
et maestitia repulsa, aeterna adsit laetitia.
Da, quasumus, hanc iucunditatem,
ut pervenire mereamur ad aeternam salutem.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Canticum VT (Br Goth 845)

(Dt 33,2-3; 7b; 22-23b; 17)

Antiphona (Br Goth 1248; AL 14; Em 30, 30)

(Cfr. Dt 33,2)

Apparuit Dominus de monte Pharan, et cum eo sanctorum
millia.

Dominus de Sinai venit * et de Seir ortus est eis;
apparuit de monte Pharan + et venit in Meribathcades * de
meridie eius in Asedoth.

Vere diligit populos; * omnes santi eius in manu illius sunt,
et, qui appropinquant pedibus tuis, * accipient de doctrina
tua.

Manus eius pugnabunt pro eo, * et adiutor illius contra
adversarios eius erit.

Catulus leonis * prosiliet largiter de Basan.

Satiabitur beneplacito, + et plenus erit benedictione Domini:
* mare et meridiem possidebit.

Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, * cornua unicornis
cornua illius,
in ipsis ventilabit gentes * usque ad terminos terrae,
Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto,
* in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Apparuit Dominus de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia

Oratio de cantico (Br Goth 1007)

Venisce te Dominum in Sion,
cum laude et laetitia
omnis catholica praelonatur Ecclesia;
et ideo petimus;
ut, qui adventum tuum gloriosum in populis nuntiamus,
a nostris facinoribus, te expiante, purgemur.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Benedictiones

Antiphona (AL 14; Em 30, 31)

(Cfr. Tob 13,18; cfr. Lam 4, 21)

Benedicti sunt omnes qui diligunt te in aeternum; gaude et
laetare in filiis iustorum.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Benedicti sunt omnes qui diligunt te in aeternum; gaude et laetare in filiis iustorum.

Oratio de benedictionibus

(Ut in ordinario in officio festivo)

Sonus (AL 14; Em 30, 32)

(Cfr. Ps 77,14-15)

Quis Deus magnus sicut Deus noster;
tu es Deus qui facis mirabilia solus, alleluia.

V/ Honorificus in sanctis,
mirabilis in maiestatibus, faciens prodigia.

R/ Tu es Deus qui facis mirabilia solus, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Tu es Deus qui facis mirabilia solus, alleluia.

Psalmi laudate 148-150

Antiphona (Br Goth 992, 996, 998, 1002, 1007, 1010, 1028, 1032, 1062, 1072, 1105, 1114-1115, 1118, 1122-1123, 1127, 1132, 1137, 1142, 1147, 1151, 1157, 1204, 1217, 1264, 1283, 1298)

(Ps 148,1)

Alleluia, laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis, alleluia.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Alleluia, laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis, alleluia.

Lectio (Br Goth 1007)

(Sap 3,1-9)

Lectio libri Sapientiae Salomonis.

R/ Deo gratias.

Iustorum autem animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.

Visi sunt oculis insipientium mori, et aestimata est afflictio exitus illorum et, quod a nobis est iter, exterminium; illi autem sunt in pace.

Etenim, si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est; et in paucis correpti, in multis bene

disponentur, quoniam Deus tentavit eos et invenit illos dignos se.

Tamquam aurum in fornace probavit illos et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore visitationis illorum fulgebunt et tamquam scintillae in arundinetu discurrent; iudicabunt nationes et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum.

Qui confidunt in illo, intelligent veritatem, et fides in dilectione acquiescent illi, quoniam gratia et misericordia est sanctis eius, et visitatio electis eius.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 1244; Em 30, 34)

Gaudete flores martyrum,
salvete plebes gentium,
visum per astra mittite,
sperate signum gloriae.

Voces prophetarum sonant
venire Iesum nuntiant;
redemptionis praevia,
qua nos redemit, gratia.

Hic mane nostrum promicat,
et corda laeta exaestuant;
cum vox fidelis personat,
praenuntiatrix gloriae.

Tantae salutis gaudium,
quo est redemptum saeculum,
exceptionis inclytum
ab hinc ciamus canticum.

Adventus hic primus fuit
punire quo non saeculum
venisset, ulcus tergere
salvando quod perierat.

At nunc secundus praemonet,
adesse Christum ianuis
sanctis coronas reddere,
caelique regna pandere.

Aeterna lux promittitur,
sidusque salvans promitur,
iam nos iubar refuldum
ad ius vocet caelestium.

Te, Christe, solum quaerimus
videre, sicut es Deus;
ut laeta nos haec Visio
evellat omni tartaro.

Quo dum Redemptor veneris,
cum candidato martyrum
globo, adunes caelibi
nos tunc beatos coetui.

Deo Patri sit gloria
eiusque soli Filio
cum Spiritu Paráclito,
et nunc et in perpetuum. Amen.

Versus (Br Goth 888)
(Ps 140,5)

V/ Exultabunt sancti in gloria.

R/ Laetabuntur in cubilibus suis.

Supplicatio (Br Goth 991)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
 cum omni supplicatione rogemus;
 ut per gratiam ipsius,
 et per intercessionem
 Sanctae Mariae Virginis, et Genitris suae,
 et per intercessionem
 sanctorum Martyrum suorum Aciscli et Comitum eius,
 nobis remissionem peccatorum,
 et pacem propitiis donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Compleuria (Br Goth 1245)

Domine, Deus omnipotens,
 qui gloriose dispositionis munere ante saecula cuncta disponis,
 quae per saecula ordinata discurrere vis;
 dum ex te ante omnia tempora
 consempiternum, coaequalem, omnipotentem,
 et consubstantialem tibi unicum Filium prodire vis;
 quem in finem saeculorum,
 visibus hominum visibilem hominem ostendis,
 ut humanum genus, quod fraus diaboli expulerat a paradiso,
 eius humilitate referres in caelum.

Quem ad coniungendam sibi Ecclesiam
 ut sponsum e thalamo procedentem destinasti,
 de cuius utero procreata sanctorum agmina
 tamquam rosas, vel lilia,
 martyrum, confessorum, vel virginum aggregas copiae;
 qui per te, tibi placentes, tuaque iussa impletentes,
 mundum omnem velut nihilum reputantes,
 pro te corpore caesi,
 animas sanctorum Aciscli atque Victoriae,
 quorum annua vice festa suscipimus,
 eorum meritis sempiterna praemia capiamus.
 Et quia odor maiestatis tuae mire flagrans,
 iam desiderabile illud adventus
 tui nos invitat suspicere festum,
 precantes petimus, et crebra supplicatione deposcimus:

ut sic inchoata adventus tui gaudia
 cum hymnis et canticis, et psalmis,
 modulatione vocis statutis peragamus diebus,
 ut ad sanctum diem Filii tui natalem,
 purgatis maculis delictorum,
 cum fructu accedamus operum bonorum.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (Br Goth 1245)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum

R/ Et cum spiritu tuo.

Deus Pater omnipotens,
 qui fons est et origo totius divinitatis,
 praemio vos muneret sempiternae salutis.

R/ Amen.

Iesus Christus Dei Filius,
 qui est coaequalis Patri et Spiritui Sancto,
 ab omni vos iubeat purgari delicto.

R/ Amen.

Sanctus quoque Spiritus,
 qui est sanctitas Patris et Filii,
 repleat vos gratia nominis sui.

R/ Amen.

Te praestante, summe Deus, qui in Trinitate gloriaris,
 unus Deus, in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 999-1000)

Gaudium sempiternum super caput sanctorum;
 laus et iucunditas apprehendet eos, alleluia, alleluia.
 V/ Beati qui custodiunt iudicium,

et faciunt iustitiam in omni tempore.
 R/ Laus et iucunditas apprehendet eos, alleluia, alleluia.
 V/ Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
 R/ Laus et iucunditas apprehendet eos, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1245)

Deus,
 qui sanctis, gloriosisque martyribus Acisclo et Victoriae,
 Ierusalem illam sanctam visionem pacis,
 ubi cum maximo solatio
 beatitudinem sempiternam obtineant, polliceris;
 ut videntes gaudeant,
 et gaudia ipsa in eis infinita permaneant:
 praebe nobis horum obtentu,
 et sanctae visionis beatitudine perfri,
 et spiritali gaudio in aeterna requie refoveri;
 ut sicut eorum ossa, quae sunt animarum virtutes,
 herbarum more revirescunt,
 dum eorum exemplis alii incitati,
 per sancta desideria obtinent merita sanctitatis,
 ita etiam nos haec eorum sequendo vestigia,
 perveniamus ad gaudia sempiterna.

R/ Amen.
 Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ad vesperum

Oblatio luminis

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Vespertinum (AL 11)

(Cfr.Ps 96,11)

Lux orta est iustis, et rectis corde laetitia.
 V/ Laetamini iusti in Domino,
 et confitemini memoriae sanctitatis eius.

R/ Et rectis corde laetitia.

*V/ Laetantur in Domino et exultant iusti,
et gloriantur omnes recti corde.*

R/ Et rectis corde laetitia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Et rectis corde laetitia.

Sonus (AL 11)

(Cfr. Sap 5,16)

Iusti autem in perpetuo vivent, alleluia;
et apud Dominum est merces eorum, alleluia, alleluia.

*V/ Alleluia. Fulgebunt iusti
et tamquam scintille in arundinetu discurrent,
iudicabunt gentes, et dominabuntur populis,
et regnabit illorum Deus in aeternum, alleluia.*

R/ Et apud Dominum est merces eorum, alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Et apud Dominum est merces eorum, alleluia, alleluia.

Antiphona (AL 11)

(Cfr Ps 67,4; Ps 32,12)

Iusti epulentur et exultent in conspectu Domini,
et delectentur in laetitia.

*V/ Beata gens cuius est Dominus Deus eius;
populus, quem elegit in hereditatem sibi.*

R/ Et delectentur in laetitia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Et delectentur in laetitia.

Alleluiaiticum (AL 12)

(Cfr.Ps 67,4; Ier 33,11)

Iusti iucundentur, alleluia; et laetentur alleluia, alleluia.

V/ Vox laetitiae, vox sponsi.

R/ Et laetentur alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Et laetentur alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 908-909; AL 12)

Sanctorum meritis inclite gaudia
pangamus socii gestaque fortia
nam gliscit animus promere
cantibus
victorum genus optimum.

Hii sunt quos retinens mundus
inorruit
ipsum nam sterili flore per arduum
sprevere penitus teque secuti sunt
Rex Christe bone caelitus.

Hii pro te furias adque ferocia
calcarunt hominum saevaque
verba
cessitis lacerans fortiter ungulas,
nec carpsit penetralia.

Ceduntur gladii more videntium
non murmur resonat non
querimonia
sed corde tacito mens bene conscientia
conservat patientia

Quae vox quae poterit liguum
retexere
quod tu martyribus munera
praeparas
rubri nam fluido sanguine laureis
ditantur bene fulgidis.

Te trina Deitas unaque poscimus
ut culpas abluas noxia subtrahas
des pacem famulis nos quoque
gloriam
per cuncta tibi saecula. Amen.

Versus (Br Goth 888)

(Ps 140,5)

*V/ Exultabunt sancti in gloria.
R/ Laetabuntur in cubilibus suis.*

Supplicatio (Br Goth 991)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per gratiam ipsius,
et per intercessionem
Sanctae Mariae Virginis, et Genitris suae,
et per intercessionem
sanctorum Martyrum suorum Aciscli et Comitum eius,
nobis remissionem peccatorum,
et pacem propitiis donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (OV 36; Br Goth 49, 1247)

Audivimus, Christe, confitemur et credimus,

quod de sinu Patris egrediens veneris,
 ut carnis nostrae vesticula cingeris:
 liberaturus, scilicet, susceptae incarnationis mysterio
 quod perierat naturae vitiatae contagio.
Fac ergo nos,
praenuntiata adventus tui gaudia,
promptissima susceptionis devotione excipere,
et quia tu, e loco patrio secretoque progrediens,
salvaturus homines, humanum properasti ad publicum,
nos, e loco criminis exeentes mundatores,
concitum divinitatis tuae prospectemus occursum,
ut extrema vitae nostrae,
nullius discriminis conculcatione involvens,
sic provokes terrore iustitiae, ut solita iustifices pietate.
R/ Amen.
 Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Pater noster
(Ut in ordinario in officio festivo)

Petitio
(Ut in ordinario in officio festivo)

Benedictio (Em 30, 4)
Diac. Humiliate vos benedictioni.
Presb. Dominus sit semper vobiscum
R/ Et cum spiritu tuo.

Dominus Iesus Christus,
 pro cuius amore, suas a morti sancti animas tradiderunt,
 animarum vestrarum pius illuminator occurrat.
R/ Amen.
 Et qui eis dedit de triumphato hoste victoriam,
 vobis tribuat sanctae fidei fortitudinem gloriosam.
R/ Amen.
 Idem, qui illis contulit post mortem coronas,
 vos omnes post onera carnis deposita,
 perducat ad regionem aeternam.
R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (AL 12; Em 30, 5)
(Cfr. Cant 6,2)

Sicut lilia munda floruerunt sancti, alleluia;
et odor Dei descendit in illos, alleluia, alleluia.

V/ Plantati in domo Domini,
in atriis domus Dei nostri florebunt.

R/ Et odor Dei descendit in illos, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et odor Dei descendit in illos, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1246; Em 30, 6)

Fac nos, Domine,
sicut lilia munda in atriis domus tuae florere,
et odorem boni operis
ad exemplum piae conversationis fidelibus exhibere;
ut sanctorum tuorum Aciscli atque Victoriae praesidiis freti,
et laqueos evadamus inimici,
et aeternam beatitudinem mereamur obtainere
cum sanctis omnibus, et electis.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(Ut in ordinario in officio festivo)

**Dei 18 novembris
Officium in diem Sancti Romanis
Memoria**

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (AL 456; Em 30, 52; S6, 302, 460; LOS 729; Br Goth 80, 97, 108, 241)

(Ps 3,9)

Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.

Collecta de psalmo III

(Ut in ordinario in officio festivo)

Missa

Antiphona (Br Goth 1249 – 1250)

(Cfr. IVEs 3,15; Eclo 17,10; Ps 88,4; Ps 31,1)

Testamentum aeternum disponam sanctis meis,
dicit Dominus;
et cognoscetur inter gentes germen eorum;
quia hi sunt semen cui benedixit Dominus.
V/ Beati, quorum remissae sunt iniquitates,
et quorum tecta sunt peccata.

R/ Quia hi sunt semen cui benedixit Dominus.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Quia hi sunt semen cui benedixit Dominus.

Oratio (Br Goth 1250)

Sancte Domine, in cuius amore,
martyris tui Romani pia confessione laetamur;
oramus te, quaesumus;
ut qui, propter David servum tuum,
Christi tui faciem non avertis,
propter nos, famulos tuos,
sanctorum tuorum suffragia non retardes.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (Br Goth 1250)

(Cfr. Ps 24,3; Ps 144,11)

Dabo sanctis in gloria,
et nominatos in universa terra, dicit Dominus.

Et non confundentur in tempore illo,
quomodo eis benefecero.

V/ Gloriam regni tui dicent,
et potentiam tuam loquentur.

R/ Et non confundentur in tempore illo,
quomodo eis benefecero.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et non confundentur in tempore illo,
quomodo eis benefecero.

Oratio (Br Goth 1250)

Te Domine,
fideliter in amore sanctorum tuorum Romani et eius Comitum,
suppliciter invocamus;
ut adsit pietas tua timentibus te in salutem,
quae amantibus diffusa est in virtute:
ut perficiat cursum vocationis in minimis,
qui consummavit fructum dilectionis in Sanctis.

R/ Amen.

Per tuam magnam misericordiam, Deus noster,
qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (Br Goth 1250)

(Cfr. Apoc 22,2; Ps 118,1)

Dabo sanctis meis regnum in Ierusalem,
lignum enim vitae erit eis in odorem unguenti,
et non laborabunt neque fatigabuntur, alleluia.

V/ Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

R/ Et non laborabunt neque fatigabuntur, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et non laborabunt neque fatigabuntur, alleluia.

Oratio (Br Goth 1250)

Vita sanctorum, omniumque fidelium,
 vivifica animas nostras, omnipotens Deus;
 et qui beneficiis tuis adiuvas servientes,
 coronasque vincentes,
 intervenientibus sanctis Romano et eius Comitum martyribus,
 quaesumus, ut nos tua semper voluntate sanctifices,
 ac misericordiae largitate confirmes.

R/ Amen.

Per ineffabilem bonitatem tuam, Deus noster,
 qui vivis et cuncta dominaris in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (Br Goth 1250; AL 17)

(Cfr. Is 40,10; Ez 47,5; Ps 145,10; Mt 24,30)

Ecce Dominus veniet, et omnes sancti eius cum eo,
 et erit in die illa lux magna;
 et exiet de Ierusalem quasi aqua munda.
 Et regnabit Dominus in aeternum super omnem terram.
V/ Veniet in nubibus Dominus, et videbit eum omnis oculus.
R/ Et regnabit Dominus in aeternum super omnem terram.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Et regnabit Dominus in aeternum super omnem terram.

Oratio (Br Goth 1249)

Omnipotens Deus,
 qui per beatissimum Romanum,
 fores ecclesiae infidelibus clausit,
 claustra nobis credentibus aperiat regni sui;
 et qui elinguis oris eius officium sua declaravit in laude,
 suffragia eius suscipiat pro vestrorum criminum
 emmundatione;
 ut in quo parvuli Theoduli
 fides roborata pergit martyrium,
 in eo et vos habeatis praemium sempiternum.

R/ Amen.

Per ineffabilia mirabilia sua, Deus noster,
 qui vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psalmus L

Antiphona (Br Goth 1000, 1005, 1022, 1169, 1246; AL 353, 417; Em 30, 68; L4, 229) (Cfr. Ps 50,14)

Da nobis laetitiam salutaris tui; spiritu principali confirma nos, Domine.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Da nobis laetitiam salutaris tui; spiritu principali confirma nos, Domine.

Oratio (Br Goth 1000, 1169)

Redde nobis, Domine, laetitiam salutaris tui,
quam amissimus inique gerendo,
et praetermissimus negligendo.

Tu ad eam nos revoca, et eam nobis restaura;
ut peccato expulso, succedat iustitia,
et, moestitia repulsa, adsit laetitia.

Da, quaesumus, hanc iucunditatem,
ut pervenire mereamur ad aeternam salutem.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Cantus VT (Br Goth 1005-1007)

(Dt 33, 2-29)

Antiphona (Br Goth 1005)

(Cfr. Dt 33,3; Sap 3,1)

Omnis sancti in manu Dei sunt; et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina ipsius.

«Dominus de Sina venit * et de Seir ortus est eis;
apparuit de monte Pharan + et venit de Meribathcades * de meridie eius in Asedoth.

Vere diligit populos; * omnes sancti eius in manu illius sunt,

et, qui appropinquant pedibus tuis, * accipient de doctrina tua.

Legem paecepit nobis Moyses, * hereditatem multitudinis Iacob.

Et factus est apud dilectum rex, * congregatis principibus populi cum tribubus Israel».

«Vivat Ruben et non moriatur, * et sit parvus in numero». Haec est Iudee benedictio: + «Audi, Domine, vocem Iudee, * et ad populum suum introduc eum. Manus eius pugnabunt pro eo, * et adiutor illius contra adversarios eius eris». De Levi quoque ait: + “Tummin et Urim tui viro sancto tuo, * quem probasti in Massa et cum quo litigasti ad aquas Meriba. Qui dixit de patre suo et matre sua: * «Nescio vos»; et fratres suos ignoravit * et filios suos nescivit. Quia custodierunt eloquium tuum * et pactum tuum servaverunt. Docebunt iudicia tua Iacob * et legem tuam Israel; ponent thymiam in naribus tuis * et holocaustum super altare tuum. Benedic, Domine, fortitudini eius * et opera manuum illius suscipe. Percute lumbos inimicorum eius, * et, qui oderunt eum, non consurgant”. De Beniamin ait: + “Amantissimus Domini * habitabit confidenter in eo; Altissimus proteget eum tota die, * et inter humeros illius requiescat”. De Ioseph quoque ait: + «Benedicta a Domino terra eius: * donis caeli, rore atque abyssu subiacente, fructibus solis * et donis mensium, primitiis antiquorum montium + et donis collium aeternorum, * frugibus terrae et plenitudine eius. Benedictio illius, qui apparuit in rubo, + veniat super caput Ioseph * et super verticem nazarei inter fratres suos; quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, * cornua unicornis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes * usque ad terminos terrae. Hae sunt multitudines Ephraim, * et hae milia Manase”. De Zabulon ait: + «Laetare, Zabulon, in exitu tuo * et Issachar, in tabernaculis tuis!» Populos ad montem vocabunt, * ibi immolabunt victimas iustitiae. Qui inundationem maris, quasi lac, sugent, * et thesauros absconditos arenarum» De Gad ait: + “Benedictus, qui dilatat Gad! * Quasi leo requiescit dilaceratque brachium et verticem. Et vidit primitias sibi, * quia ibi pars ducis erat reposita;

qui fuit cum principibus populi * et fecit iustitiam Domini et iudicia sua cum Israel”.

De Dan quoque ait: + “Dan catulus leonis * prosiliet largiter de Basan”.

De Nephtali dixit: * “Nephtali satiabitur beneplacito, et plenus erit benedictione Domini: * mare et meridiem possidebit”.

De Aser quoque ait: * “Benedictus p[re]a filii Aser!

Sit placens fratribus suis * et tingat in oleo pedem suum.

Ferrum et aes serae tuae, * sicut dies tui robur tuum”.

“Non est ut Deus Iesurum, + qui ascendit super caelos ad auxilium tuum * et in magnificentia sua super nubes.

Habitaculum Deus antiquus, * et subter brachia sempiterna.

Eicet a facie tua inimicum * dicetque: “Conterere!”.

Habitabit Israel confidenter, et fons Iacob solus; * stillabunt in terra frumenti et vini, caelique rorem.

Beatus tu, Israel! + Quis similis tui, popule, * qui salvaris in Domino?

Ipse est scutum auxilii sui * et gladius gloriae tuae.

Blandientur tibi inimici tui, * et tu eorum altitudines calcabis”.

Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, * in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Omnes sancti in manu Dei sunt; et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina ipsius.

Oratio de cantico (Br Goth 1007)

Venisste te Dominum cum sanctorum millibus,
et venturum prophetarum vaticiniis audientes,
exposcimus:

ut, qui te ad redemptionem mundi venisse iam credimus,
venturum quoque ad iudicium,

purgatis cordibus, praestolemur:

ut quia in manu tua sanctorum multitudo consistit,
in remedio pietatis tuae

reditus a te peccantium cumuletur;

qualiter appropinquantes pedibus tuis,
satiemur semper doctrina intimae visionis.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

*Benedictiones**Antiphona* (Br Goth 1007; Em 30, 70)

(Dn 3,87.86)

Sancti et humiles corde, spiritus et animae iustorum benedicite Dominum.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Sancti et humiles corde, spiritus et animae iustorum benedicite Dominum.

Oratio de benedictionibus

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Sonus (Br Goth 1007)

Via iustorum regia facta est, alleluia.

Iter sanctorum praeparatum est, alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Hic est civitas, et salvatio iustorum.

Pone murum,

et iuxta murum congregaciones sanctorum, alleluia.

R/ Iter sanctorum praeparatum est, alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Iter sanctorum praeparatum est, alleluia, alleluia, alleluia.

*Psalmi laudate 148-150**Antiphona* (Br Goth 992, 996, 998, 1002, 1007, 1010, 1028, 1032, 1062, 1072, 1105, 1114-1115, 1118, 1122-1123, 1127, 1132, 1137, 1142, 1147, 1151, 1157, 1204, 1217, 1264, 1283, 1298)

(Ps 148,1)

Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis, alleluia.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis, alleluia.

Lectio (Br Goth 1007)

(Sap 3,1-9)

Lectio libri Sapientiae Salomonis.

R/ Deo gratias.

Iustorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.

Visi sunt oculis insipientium mori, et aestimata est afflictio exitus illorum, et, quod a nobis est iter, exterminium; illi autem sunt in pace.

Etenim, si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est; et in paucis correpti, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit eos et invenit illos dignos se.

Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore visitationis illorum fulgebunt et tamquam scintillae in arundinetu discurrent; iudicabunt nationes et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 1249)

Romane, Christi fortis assertor
Dei,
elinguis oris organum fautor move
largire comptum carmen, et
faustissimum,
fac ut tuarum mira laudum
concinam.

Qui scis et ipse posse mutos eloqui;
plectrum palati, et faucium saevus
tibi
tortor revulsit; nec tamen
silentium
indixit ori, quo fatebaris Deum.

Vox veritatis testis extingui
nequit;
vel si recassis palpitet meatibus,
Christum loquendi lingua
numquam defuit,
cum praedicatur ipse verborum
dator.

Nunc, martyr sancte, poscit te
plebs infirma,
sorde emundes, dira pellas
crimina;
ignes averni rore digno
comprimas,
et nos beundos ad superna
pertrahas.

Honor sit aeterno Deo, sit gloria
uni Patri, eiusque soli Filio,
cum Spiritu; quae Trinitas perenniter
vivit potens in saeculrum saeculis. Amen.

Versus (Br Goth 888)

(Sap 3,1)

V/ Iustorum animae in manu Dei sunt.

R/ Et non tanget illos tormentum mortis.

Supplicatio (Br Goth 991)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
 cum omni supplicatione rogemus;
 ut per gratiam ipsius,
 et per intercessionem Sanctae Mariae Virginis,
 et Genitris suae,
 et per intercessionem sancti Martyris sui Romani,
 nobis remissionem peccatorum,
 et pacem propitius donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (OV 42; Em 30, 72; Br Goth 1250)

Deus, qui beatissimo Romano martyri tuo
 hoc specialiter in dono gratiae praestitisti,
 ut post abscissionem carnalis linguae
 melius te verborum datorem, et affluentius predicaret;
 te supplices quaesumus,
 ut organum linguae nostrae
 tuis semper facias legibus deservire,
 ut sanctis tantum officiis mancipatum,
 beneplacita tibi semper devotione famuletur.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 41; Em 30, 48; Br Goth 1249)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Christus Dominus, qui elinguem Romanum suum martyrem
 fecit mirabiliter eloquentem,

os vestrum faciat sibi semper fructificare.

R/ Amen.

Et qui, post illam abscisionem linguae,
formavit verba flammantia,
in vobis, post confessionem oris, virtutum conferat dona.

R/ Amen.

Ut disciplinati oris habentes semper officium,
in ea lingua qua confitemini Deo peccata,
in ea mereamini impetrare peccatorum omnium indulgentiam.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 1008)

(Ps 105, 3)

Gaudium sempiternum super caput sanctorum,
laus et iucunditas apprehendit eos, alleluia, alleluia.

*V/ Beati qui custodiunt iudicium,
et faciunt iustitiam in omni tempore.*

R/ Laus et iucunditas apprehendit eos, alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Laus et iucunditas apprehendit eos, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 40; Br Goth 1249)

Amabilis servi beatissimi Romani tui,
Christe Deus noster, victorias celebrantes,
quibus inimicum fidei christiana,
templi tui limina intrare non passus est;
te quaesumus, te rogamus,
ut per eum nobis aperias paradisum,
per quem infidelibus ecclesiae tuae obserasti introitum;
ut per quem incredulorum est repulsa perfidia,
per eum fides nostra perveniat ad coronam.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

*Conclusio**(Ut in ordinario in officio festivo)***Ad vesperum***Oblatio luminis**(Ut in ordinario in officio festivo)**Vespertinum* (AL 16; Em 30, 42; Br Goth 998)

(Cfr. Ps 111,4; Ps 32,12)

Exortum est in tenebris lumen rectis corde,
misericors et miserator et iustus Dominus.

*V/ Beata gens cuius est Dominus Deus eorum,
populum quem elegit hereditatem sibi.*

R/ Misericors et miserator et iustus Dominus.

*V/ Directam fecit viam iustorum,
et praeparabit iter sanctorum.*

R/ Misericors et miserator et iustus Dominus.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Misericors et miserator et iustus Dominus.

Sonus (AL 16; Em 30, 43)

(Ps 32,1-3)

Gaudete iusti in Domino,
rectos decet collaudatio, alleluia.

*V/ Confitemini Domino in cithara,
in psalterio decem cordarum
psallite Domino, alleluia, alleluia.*

R/ Rectos decet collaudatio, alleluia.

*V/ Cantate ei canticum novum,
bene psallite Deo, alleluia, alleluia.*

R/ Rectos decet collaudatio, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Rectos decet collaudatio, alleluia.

Antiphona (AL 16)

(Ps 49,1)

Dabo sanctis meis, dicit Dominus,
locum nominatum, et honore plenum;

nomen aeternum dabo eis.
 V/ Deus deorum Dominus locutus est,
 et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum.
 R/ Nomen aeternum dabo eis.
 V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
 R/ Nomen aeternum dabo eis.

Alleluiaiticum (AL 16; Em 30, 44)
 (Ps 112,1)

Dabo vos nominatos in gloria, alleluia;
 in omnibus diebus vitae vestrae, alleluia, alleluia.
 V/ Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.
 R/ In omnibus diebus vitae vestrae, alleluia, alleluia.
 V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
 R/ In omnibus diebus vitae vestrae, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 1249; Em 30, 45)

Romane, Christi fortis assertor Dei, elinguis oris organum fautor move largire comptum carmen, et faustissimum, fac ut tuarum mira laudum concinam.	Vox veritatis testis extingui nequit; vel si recissis palpitet meatibus, Christum loquendi lingua numquam defuit, cum praedicatur ipse verborum dator.
---	--

Qui scis et ipse posse mutos eloqui; plectrum palati, et faucium saevus tibi tortor revulsit; nec tamen silentium indixit ori, quo fatebaris Deum.	Nunc, martyr sancte, poscit te plebs infirma, sorde emundes, dira pellas crimina; ignes averni rore digno comprimas, et nos beandos ad superna pertrahas.
---	--

Honor sit aeterno Deo, sit gloria
 uni Patri, eiusque soli Filio,
 cum Spiritu; quae Trinitas perenniter
 vivit potens in saeculum saeculis. Amen.

Versus (Br Goth 888)

(Sap 3,1)

V/ Iustorum animae in manu Dei sunt.

R/ Et non tanget illos tormentum mortis.

Supplicatio (Br Goth 991)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per gratiam ipsius,
et per intercessionem Sanctae Mariae Virginis,
et Genitris suae,
et per intercessionem sancti Martyris sui Romani,
nobis remissionem peccatorum,
et pacem propitius donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (OV 40; Br Goth 1249)

Amabilis servi beatissimi Romani tui,
Christe Deus noster, victorias celebrantes,
quibus inimicum fidei christiana
templi tui limina intrare non passus est;
te quaesumus, te rogamus, ut per eum nobis aperias paradisum,
per quem infidelibus ecclesiae tuae obserasti introitum;
ut per quem incredulorum est repulsa perfidia,
per eum fides nostra perveniat ad coronam.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 41; Em 30, 48; Br Goth 1249)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Christus Dominus, qui elinguem Romanum suum martyrem
fecit mirabiliter eloquentem,
os vestrum faciat sibi semper fructificare.

R/ Amen.

Et qui, post illam abscisionem linguae,
formavit verba flammantia,
in vobis, post confessionem oris, virtutum conferat dona.

R/ Amen.

Ut disciplinati oris habentes semper officium,
in ea lingua qua confitemini Deo peccata,
in ea mereamini impetrare peccatorum omnium indulgentiam.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (AL 16; Em 30, 49)

Dabo sanctis meis regnum in Ierusalem,
lignum enim vitae erit eis in odorem unguenti,
V/ Et non laborabunt neque fatigabuntur, alleluia.

R/ Lignum enim vitae erit eis in odorem unguenti.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Lignum enim vitae erit eis in odorem unguenti.

Oratio (Br Goth 1249)

Omnipotens Deus,
qui per beatissimum Romanum
fores ecclesiae infidelibus clausit,
clastra nobis credentibus aperiat regni sui;
et qui elinguis oris eius officium sua declaravit in laude,
suffragia eius suscipiat
pro vestrorum criminum emmundatione;
ut in quo parvuli Theoduli
fides roborata pergit martyrium,
in eo et vos habeatis praemium sempiternum.

R/ Amen.

Adiuvante sua misericordia, qui vivit et regnat, Deus,
in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

**Die 20 novembris
Officium in diem Sancti Crispini, episcopi
Memoria**

Omnia dicantur ut in officio unius Confessoris Pontificis, excepto

Hymnus (Br Goth 1251)

Insignem Christi Crispinum
laudemus martyrem,
qui suum lavit sacro corpus
sanguine;
et unum Deum sequens Trino
nomine,
mundum relinquens, simul eius
copias,
in regno Dei consors factus Angelis.

Non blandimenta huius aevi
aspiciens,
rectorem mundi Dominum
perspiciens
illum secutus magna cum laetitia,
paradisoque properans feliciter,
nefandum hostem repulit perniciter.

Frontique sua signum Christi
posuit,
quod ipsum Dei pietas edocuit;
quandoque serpens insultare voluit,
sed ille forti et alacri animo
renuntiavit invido diabolo.

Laetusque miles cum caelum
aspiceret,
parata cervix gladium suscipiens,
suoque fuso dedicato sanguine,
sepulchro corpus humatum
reconditur,
Astigitanae urbique reponitur.

Ad cuius corpus sacrum aegri
veniunt,
claudique, surdi, caeci vel lunatici,
Christum confessi salutem recipiunt:
et vera sancti Martyris oracula,
sanitatisque medelam accipiunt.

Tu intercessor alme Martyris
praevius
pro nostris malis intercede crebris;
ut abluantur nostra cuncta crimina:
animas nostras, corpusque omne
liberet
de persequentis inimici insidiis.

Omnipotentis Dei vera gratia
tantam Crispino tribuit constantiam;
ut carcer, paenae, flagra, vel
incendia,
nec sitis corpus famesve
commaculent;
eiusque fidem violare poterant.

Indulge nobis, Pater clementissime,
pro tui sancti intercessu Martyris,
dele secreta, cuncta laxa crimina;
ut annuis in tuis semper laudibus
istud canamus festum laeti cordibus.

Gloriam Patri personemus famuli:
gloriam Christo concinamus pariter;
qui nos redemit pretioso sanguine,
mittens in nobis Spiritum Paraclitum,
heredes fecit in caelesti gaudio. Amen

**Die 21 novembris
Officium in diem Sancti Longini martyris**

Omnia dicantur ut in officio unius Martyris

**Die 22 novembris
Officium in diem Sanctae Ceciliae virginis et martyris
Memoria**

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (AL 456; Em 30, 52; L4, 224; S6, 302, 460; LOS 729; Br Goth 80, 97, 108, 241, 1089)
(Ps 3,9)

Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.

Collecta de psalmo III

(Ut in ordinario in officio festivo)

Missa

Antiphona (Br Goth 1254)

(Cfr. Dn 8,17; 9,24; Ps 31,6)

Implebitur visio, dicit Dominus,
ut veniat Sanctus sanctorum,
et finem accipiat peccatum.

V/ Veruntamen in diluvio aquarum multarum,
ad eum non approximabunt.

R/ Ut veniat Sanctus sanctorum,
et finem accipiat peccatum.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Ut veniat Sanctus sanctorum, et finem accipiat peccatum.

Oratio (Br Goth 1254)

Deus, qui in loco sanctificationis,
te ungi Sanctum sanctorum prophetali vaticinio praedixisti;
collata in nos tuae unctionis mysteria, inviolata conserva:
ut qui iniquitate deleta, ita finem peccatum nostrum accipiat,
ut merito perveniamus ad iustitiam sempiternam.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (Br Goth 1254)

(Cfr. 2 Par 6,16; Ps 109,4)

Non deficiet princeps de populo Iuda,
neque dux de femoribus eius,
quoadusque veniet Sanctus sanctorum,
et ipse erit expectatio gentium.

V/ Iuravit Dominus, et non paenitebit eum:
tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

R/ Et ipse erit expectatio gentium.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et ipse erit expectatio gentium.

Oratio (Br Goth 1254-1255)

Deus,
qui Iacob patriarchae nostro prophetae atque famulo tuo

pietatis sacramentum revelas;
 dum per eundem nobis annuntias dicens:
 Non deficit princeps de Iuda, neque dux de femoribus eius,
 usque ad Unigenitum
 Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum:
 aperi nobis mysteria pietatis tuae,
 quo quicquid in nobis obscurum observabat antiquitas,
 verborum tuorum aperiat veritas:
 qualiter ut, luce sua Jesus Christus Filius tuus,
 qui est expectatio nostra, nos accendens,
 ab omni mereamur expiari criminis labo.
 In peccatoribus et clemens semper inveniatur et pius.
R/ Amen.
 Per gratiam pietatis tuae, Deus meus,
 qui vivis et cuncta dominaris in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Alleluiaiticum (Br Goth 1255)

(Cfr. Ps 98,7)

Corpora sanctorum flamma non contristavit,
 alleluia, alleluia, alleluia;
 et dum ambularent per eam non comburebantur.
V/ Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos;
in columna nubis loquebatur ad eos.
R/ Et dum ambularent per eam non comburebantur.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Et dum ambularent per eam non comburebantur.

Oratio (Br Goth 1255)

Unigenite Dei Filius,
 qui corpora sanctorum tuorum
 tamquam aurum fornacis igne examinas;
 cordium nostrorum, quaesumus, vires inspicias,
 et iuxta posse nostrum, si placet tibi,
 ita nos igni tribulationum tentari permittas,
 ut de bono patientiae
 hereditatem mereamur in caelestibus obtainere.
R/ Amen.
 Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Responsorium (Br Goth 1255)

(Cfr. Dt 33,2)

Iste qui advenit, nemo scit nomen eius, nisi ipse solus:
 vocabitur verbo Dominus, et habet vestem paeclarum,
 et omnis chorus sanctorum cum hymnis sequuntur eum.

V/ Dominus de Sina veniet, et de Seir ortus est nobis;
 apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia.

R/ Et omnis chorus sanctorum cum hymnis sequuntur eum.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et omnis chorus sanctorum cum hymnis sequuntur eum.

Oratio (Br Goth 1254)

Domine Iesu Christe,
 qui solus nominis tui scientiam habes,
 et magnificae virtutis potentiam obtines,
 quem nemo cognovit nisi Pater, eiusque revelatio;
 per interventum martyrum tuorum Caeciliae et eius comitum
 revela nobis tanti mysterii maiestatem:
 et ita te unum cum Patre, et Spiritu Sancto credentes,
 inseparabilem cognoscamus,
 ut fidei merito semper propitium,
 mitemque in confessione inveniamus.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psalmus L

Antiphona (Br Goth 1000, 1005, 1022, 1169, 1246; AL 353, 417; L4 229)
 (Cfr. Ps 50,14)

Da nobis laetitiam salutaris tui; spiritu principali confirma nos, Domine.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Da nobis laetitiam salutaris tui; spiritu principali confirma nos, Domine.

Oratio (Br Goth 1000)

Venisce te Dominum cum sanctorum millibus,
 et venturum prophetarum vaticiniis audientes,
 exposcimus:

ut, qui te ad redemptionem mundi venisse iam credimus,
 venturum quoque ad iudicium,
 purgatis cordibus, praestolemur:
 ut quia in manu tua sanctorum multitudo consistit,
 in remedio pietatis tuae
 reditus a te peccantium cumuletur;
 qualiter appropinquantes pedibus tuis,
 satiemur semper doctrina intimae visionis.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Canticum VT (Br Goth 1005-1007)

(Dt 33, 2-29)

Antiphona (Br Goth 1005)

(Cfr. Sap 3,1; Dt 33,3)

Omnis sancti in manu Dei sunt; et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina ipsius.

«Dominus de Sina venit * et de Seir ortus est eis;
 apparuit de monte Pharan + et venit de Meribathcades * de meridie eius in Asedoth.

Vere diligit populos; * omnes sancti eius in manu illius sunt,
 et, qui appropinquant pedibus tuis, * accipient de doctrina tua.
 Legem praecepit nobis Moyses, * hereditatem multitudinis Iacob.

Et factus est apud dilectum rex, * congregatis principibus populi cum tribubus Israel».

«Vivat Ruben et non moriatur, * et sit parvus in numero».

Haec est Iudei benedictio: + «Audi, Domine, vocem Iudei, * et ad populum suum introduc eum.

Manus eius pugnabunt pro eo, * et adiutor illius contra adversarios eius eris».

De Levi quoque ait: + “Tummim et Urim tui viro sancto tuo, * quem probasti in Massa et cum quo litigasti ad aquas Meriba.

Qui dixit de patre suo et matre sua: * «Nescio vos»;
 et fratres suos ignoravit * et filios suos nescivit.

Quia custodierunt eloquium tuum * et pactum tuum servaverunt.

Docebunt iudicia tua Iacob * et legem tuam Israel;
 ponent thymiana in naribus tuis * et holocaustum super
 altare tuum.

Benedic, Domine, fortitudini eius * et opera manuum illius
 suscipe.

Percute lumbos inimicorum eius, * et, qui oderunt eum, non
 consurgant”.

De Beniamin ait: + “Amantissimus Domini * habitabit
 confidenter in eo;

Altissimus proteget eum tota die, * et inter humeros illius
 requiescat”.

De Ioseph quoque ait: + «Benedicta a Domino terra eius: *
 donis caeli, rore atque abyssu subiacente,
 fructibus solis * et donis mensium,
 primitiis antiquorum montium + et donis collium aeternorum,
 * frugibus terrae et plenitudine eius.

Benedictio illius, qui apparuit in rubo, + veniat super caput
 Iospeh * et super verticem nazarei inter fratres suos;
 quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, * cornua unicornis
 cornua illius,
 in ipsis ventilabit gentes * usque ad terminos terrae.

Hae sunt multitudines Ephraim, * et hae milia Manase”.

De Zabulon ait: + «Laetare, Zabulon, in exitu tuo * et
 Issachar, in tabernaculis tuis!»

Populos ad montem vocabunt, * ibi immolabunt victimas
 iustitiae.

Qui inundationem maris, quasi lac, sugent, * et thesauros
 absconditos arenarum»

De Gad ait: + “Benedictus, qui dilatat Gad! * Quasi leo
 requiescit dilaceratque brachium et verticem.

Et vidit primitias sibi, * quia ibi pars ducis erat reposita;
 qui fuit cum principibus populi * et fecit iustitiam Domini et
 iudicia sua cum Israel”.

De Dan quoque ait: + “Dan catulus leonis * prosiliet largiter
 de Basan”.

De Nephtali dixit: * “Nephtali satiabitur beneplacito,
 et plenus erit benedictione Domini: * mare et meridiem
 possidebit”.

De Aser quoque dixit: * “Benedictus p[re]a filii Aser!
 Sit placens fratribus suis * et tingat in oleo pedem suum.
 Ferrum et aes serae tuae, * sicut dies tui robur tuum”.

“Non est ut Deus Iesurum, + qui ascendit super caelos ad
 auxilium tuum * et in magnificentia sua super nubes.

Habitaculum Deus antiquus, et subter brachia sempiterna.
 Eiciet a facie tua inimicum * dicetque: “Conterere!”.
 Habitabit Israel confidenter, et fons Iacob solus; * stillabunt
 in terra frumenti et vini, caeruleo rorem.
 Beatus tu, Israel! + Quis similis tui, popule, * qui salvaris in
 Domino?
 Ipse est scutum auxilii sui * et gladius gloriae tuae.
 Blandientur tibi inimici tui, * et tu eorum altitudines
 calcabis”.
 Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, * in saecula
 saeculorum. Amen.

Ant. Omnes sancti in manu Dei sunt; et qui appropinquant pedibus
 eius, accipient de doctrina ipsius.

Oratio de cantico (Br Goth 1007)

Venisce te Dominum cum sanctorum millibus,
 et venturum prophetarum vaticiniis audientes,
 exposcimus:
 ut, qui te ad redemptionem mundi venisse iam credimus,
 venturum quoque ad iudicium,
 purgatis cordibus, praestolemur:
 ut quia in manu tua sanctorum multitudo consistit,
 in remedio pietatis tuae
 reditus a te peccantium cumuletur;
 qualiter appropinquentes pedibus tuis,
 satiemur semper doctrina intimae visionis.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Benedictiones

Antiphona (Br Goth 1007; Em 30, 7)
 (Dn 3,87.86)

Sancti et humiles corde, spiritus et animae iustorum benedi-
 cite Dominum.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Sancti et humiles corde, spiritus et animae iustorum benedicite
 Dominum.

Oratio de benedictionibus
(Ut in ordinario in officio festivo)

Sonus (Br Goth 1007)

Via iustorum regia facta est, alleluia.
 Iter sanctorum praeparatum est, alleluia, alleluia, alleluia.
 V/ Hic est civitas, et salvatio iustorum.
 Pone murum,
 et iuxta murum congregaciones sanctorum, alleluia.
 R/ Iter sanctorum praeparatum est, alleluia, alleluia, alleluia.
 V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
 R/ Iter sanctorum praeparatum est, alleluia, alleluia, alleluia.

Psalmi laudate 148-150

Antiphona (Br Goth 992, 996, 998, 1002, 1007, 1010, 1028, 1032, 1062, 1072, 1105, 1114-1115, 1118, 1122-1123, 1127, 1132, 1137, 1142, 1147, 1151, 1157, 1204, 1217, 1264, 1283, 1298)
 (Ps 148,1)

Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis, alleluia.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis, alleluia.

Lectio (Br Goth 1007)

(Zach 14,3-10)

Lectio libri Zachariae prophetae.
 R/ Deo gratias.

Egredietur Dominus et proeliabitur contra gentes illas, sicut proeliatus est in die certaminis. Et stabunt pedes eius in die illa super montem Olivarum, qui est contra Ierusalem ad orientem; et scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad orientem et ad occidentem, praerupto grandi valde, et separabitur medium montis ad aquilonem et medium eius ad meridiem. Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam vallis montium pertinget usque ad Iasol; et fugietis sicut fugistis a facie terraemotus in diebus Oziae regis Iudei, et veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo.

Erit: in die illa non erit lux, sed frigus et gelu; et erit dies una, quae nota est Domino, non dies neque nox; et in tempore vesperi erit lux. Et erit: in die illa exibunt aquae vivae de Ierusalem,

medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare occidente: in aestate et in hieme erunt. Et erit Dominus rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus, et erit nomen eius unum. Et revertetur omnis terra in desertum, a Gabaa usque ad Remmon ad austrum Ierusalem, quae exaltabitur in loco suo.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 1252; Em 30, 118, 143)

Inclyti festum pudoris
virginis Caeciliae
gloriosa praecinamus
voce prompti pectoris,
quo soluta lege mortis
tollitur in aetheris.

Germine haec virgo clara
sanctitate clarior,
pectore Christum retentans
huncque solum praedicans,
ore sponsum, mente saeculum,
vicit hostem sanguine.

Pectoris sacri recessum
munit evangelio;
squalido corpus beatum
proterit cilicio,
noctis horas et diei
mentis implens cantico.

Haec enim sortita sponsum
geminis perfulgidi,
angelum Dei fatetur
se habere vindicem:
hunc verendo, ut pudori
det honorem commonet.

Tunc deinde virgo Christi
consequens Caecilia,
hanc triumphalis honoris
promeretur gloriam;
igneis termis retrusa
fit caloris nescia.

Plus calens sic igne Christi
vicit ignem saeculi;
et vibrantis ensis ictus
ter, valenter sustulit;
postque terris membra ponit,
spiritus caelos petit.

Inde nobis sacra virgo
mitte caeli munera,
liliorum, vel rosarum
munus inde proroga;
unde hausisti superna
veritatis gaudia.

Liliis corusca in nos
castitatis prae fulgeat,
punicis rosis voluntas
passionis fermeat;
criminis mole subacta,
innovemur gratia.

Sponsus hic furore caeco
comminatur virginis;
sed beata virgo factis
dicta prorsus comprobans,
angelum, munusque caeli
mox adesse praestitit.

Affuit promissus idem
vir coruscis vestibus,
exhibens sertis coronas
floribus praefulgidas
in rosis docens cruentem,
castitatem liliis.

Munere hoc provocatus
sponsus ad Christi fidem
illoco fratri salutem
imprecatus obtinet;
hincque ambo passionis
consecrantur sanguine.

Ecce adventum futuri
praestolamur Iudicis:
sustinemus et beata
illa lucis gaudia:
non rei tunc puniamur,
non frememur ignibus.

Martyrum sed sacrosanctis
aggregati coetibus,
evadamus, quod timemus,
contuentes gloriam,
regis almi ad coronam
evocati dexteram.

Ut tuam, Christe, videntes
servuli praesentiam,
gratulemur, gaudeamus,
personemus gloriam,
curiae caelestis arce
confovendi in saecula. Amen.

Versus (Br Goth 888; Em 30, 119)
(Sap 3,1)

V/ Iustorum animae in manu Dei sunt.
R/ Et non tanget illos tormentum mortis.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.
Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per intercessionem sanctae Caeciliae martyris,
remissionem peccatorum,
et pacem nobis donare dignetur.
R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.
Kyrie eleison
R/ Christe eleison, kyrie eleison.

Completuria (OV 62; Em 30, 144; Br Goth 1255)

Christe, lux vera sanctorum,
qui, illustratione adventus tui,
saevientem in electis tuis destruis inimicum;

veni ad nos et illumina cor nostrum luce illa,
 qua sanctorum tuorum perlustrare dignatus es corda,
 ut a nostrorum criminum onere sublevati,
 diem adventus tui praestolemur illaes.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 63; Em 30, 145; Br Goth 1256)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum

R/ Et cum spiritu tuo.

Christe, Dei Filius,
 cum quo sanctorum millia ad iudicium venient,
 sanctorum vos coetibus coronandos associet.

R/ Amen.

Et qui electis daturus est iudicii sessionem,
 peccatoribus ultiōnis pro merito non restituat vicem.

R/ Amen.

Quo gaudio adventus sui sic remuneret iustos,
 ut fide, qua illi creditur, a suppliciis eripiat miseros.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
 qui in Trinitate unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 1008)

Gaudium sempiternum super caput sanctorum,
 laus et iucunditas apprehendit eos, alleluia, alleluia.

V/ Beati qui custodiunt iudicium,
et faciunt iustitiam in omni tempore.

R/ Laus et iucunditas apprehendit eos, alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Laus et iucunditas apprehendit eos, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 56; Em 30, 120)

Christe, Dei Filius,
quem, cum sanctis omnibus
ad faciendum iudicium sustinemus;
te quaesumus, te rogamus,
ut, antequam venias,
nostrorum criminum maculas abluas,
illisque nos consortes efficias,
quibus pro merito iam tribuisti coronas;
ut qui tunc iudices tecum venturi sunt,
nobis patrones per te,
ad evadenda supplicia praeparentur.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ad vesperum

Oblatio luminis

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Vespertinum (AL 22; Br Goth 998)

(Cfr, Ps 111, 4; Ps 32,12)

Exortum est in tenebris lumen rectis corde,
misericors et miserator et iustus Dominus.

*V/ Beata gens cuius est Dominus Deus eorum,
populum quem elegit hereditatem sibi.*

R/ Misericors et miserator et iustus Dominus.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen*

R/ Misericors et miserator et iustus Dominus.

Sonus (AL 22)

(Cfr. Ps 117, 15.20)

Alleluia. Vox laetitiae et salutis
 in tabernaculis iustorum, alleluia.
 V/ Alleluia. Haec est porta Domini,
 iusti introibunt per eam.
 R/ In tabernaculis iustorum, alleluia.
 V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen
 R/ In tabernaculis iustorum, alleluia.

Antiphona (AL 22; Em 30, 116; Br Goth 1252)

(Cfr. Ps 48,2)

Gaudium magnum erit omnibus hominibus,
 dicit Dominus,
 quia ecce ego veniam
 ut clarificer in medio sanctorum meorum.
 V/ Audite haec omnes gentes,
 auribus percipite omnes qui habitatis orbem.
 R/ Quia ecce ego veniam
 ut clarificer in medio sanctorum meorum.
 V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen
 R/ Quia ecce ego veniam
 ut clarificer in medio sanctorum meorum.

Alleluiaiticum (AL 22; Em 30, 117; Br Goth 1252)

(Cfr. Zach 14,5; Ps 106,32)

Veniet Dominus et omnes sancti cum eo, alleluia;
 et erit in die illa, quae nota est Domino, alleluia, alleluia.
 V/ Exalent eum, et in conventu seniorum laudent eum.
 R/ Et erit in die illa, quae nota est Domino, alleluia, alleluia.
 V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen
 R/ Et erit in die illa, quae nota est Domino, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 1252; Em 30, 118, 143)

Inclyti festum pudoris
 virginis Caeciliae
 gloriosa praecinamus
 voce prompti pectoris,
 quo soluta lege mortis
 tollitur in aetheris.

Germine haec virgo clara
 sanctitate clarior,
 pectore Christum retentans
 huncque solum praedicans,
 ore sponsum, mente saeculum,
 vicit hostem sanguine.

Pectoris sacri recessum
 munit evangelio;
 squalido corpus beatum
 proterit cilicio,
 noctis horas et diei
 mentis implens cantico.

Haec enim sortita sponsum
 geminis perfulgidi,
 angelum Dei fatetur
 se habere vindicem:
 hunc verendo, ut pudori
 det honorem commonet.

Sponsus hic furore caeco
 comminatur virgini;
 sed beata virgo factis
 dicta prorsus comprobans,
 angelum, munusque caeli
 mox adesse praestitit.

Affuit promissus idem
 vir coruscis vestibus,
 exhibens sertis coronas
 floribus praefulgidas
 in rosis docens cruorem,
 castitatem liliis.

Tunc deinde virgo Christi
 consequens Caecilia,
 hanc triumphalis honoris
 promeretur gloriam;
 igneis termis retrusa
 fit caloris nescia.

Plus calens sic igne Christi
 vicit ignem saeculi;
 et vibrantis ensis ictus
 ter, valenter sustulit;
 postque terris membra ponit,
 spiritus caelos petit.

Inde nobis sacra virgo
 mitte caeli munera,
 liliorum, vel rosarum
 munus inde proroga;
 unde hausisti superna
 veritatis gaudia.

Liliis corusca in nos
 castitatis praefulgeat,
 punicis rosis voluntas
 passionis fermeat;
 criminis mole subacta,
 innovemur gratia.

Ecce adventum futuri
 praestolamur Iudicis:
 sustinemus et beata
 illa lucis gaudia:
 non rei tunc puniamur,
 non frememur ignibus.

Martyrum sed sacrosanctis
 aggregati coetibus,
 evadamus, quod timemus,
 contuentes gloriam,
 regis almi ad coronam
 evocati dexteram.

Munere hoc provocatus
sponsus ad Christi fidem
 illico fratris salutem
 imprecatus obtinet;
hincque ambo passionis
consecrantur sanguine.

Ut tuam, Christe, videntes
servuli praesentiam,
gratulemur, gaudemus,
personemus gloriam,
curiae caelestis arce
confovendi in saecula. Amen.

Versus (Br Goth 888; Em 30, 119)

(Sap 3,1)

V/ Iustorum animae in manu Dei sunt.
R/ Et non tanget illos tormentum mortis.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per intercessionem sanctae Caeciliae martyris,
remissionem peccatorum,
et pacem nobis donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, kyrie eleison.

Completuria (OV 56; Em 30, 120)

Christe, Dei Filius,
quem, cum sanctis omnibus
ad faciendum iudicium sustinemus;
te quaesumus, te rogamus,
ut, antequam venias,
nostrorum criminum maculas abluas,
illisque nos consortes efficias,
quibus pro merito iam tribuisti coronas;
ut qui tunc iudices tecum venturi sunt,
nobis patrones per te,
ad evadenda supplicia praeparentur.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 57; Em 30, 121)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum

R/ Et cum spiritu tuo.

Unigenitus Patris Filius,

qui in adventu suo aeternas iudicii sedes daturus est sanctis,
det vobis suae evadere iudicium ultiōnis.

R/ Amen.

Et qui tunc electos per gratiam formaturus est iudices,
vos per misericordiam sibimet efficiat complacentes.

R/ Amen.

Ut cum adventum sui refulserit gloria,
in medio sanctorum clarificetur conversatio vestra.

R/ Amen.

Ipsò praestante, qui cum Deo Patre vivit et regnat
in unitate Spiritus Sancti in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 1254)

(Cfr. Sap 3,9; Ps 33, 18)

Fideles in dilectione sustinebunt Deum,
quia regnum et pax est electis eius, alleluia, alleluia.

V/ Clamaverunt, et Dominus exaudivit eos;
et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

R/ Quia regnum et pax est electis eius, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Quia regnum et pax est electis eius, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1254)

Domine, Iesu Christe,
qui solus nominis tui scientiam habes,
et magnificae virtutis potentiam obtines,
quem nemo cognovit nisi Pater, eiusque revelatio;
per interventum martyrum tuorum Caeciliae et eius comitum,

revela nobis tanti mysterii maiestatem:
 et ita te, unum cum Patre et Spiritu Sancto credentes,
 inseparabilem cognoscamus,
 ut fidei merito semper propitium,
 mitemque in confessione inveniamus.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

23 novembris
Officium in diem sancti Clementis Papae et martyris
Memoria

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (T35.4, 820, 821, 822, 834; T35.7, 186; AL 36, 50, 56, 110, 395, 444, 476, 477; Em 30, 156, 258, 311, 444, 489, 764, 1327, 1413, 1446; S6, 420)

(Ps 3, 4b)

Gloria mea Deus, et exaltans caput meum.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Gloria mea Deus, et exaltans caput meum.

Collecta de psalmo III (Br Goth 59)

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Missa

Antiphona (AL 24; Em 30, 157)

(Cfr. Is 52,13; Ps 88,22)

Ecce intellegebit puer meus, excelsus erit et sublimis,
 et ego suscipiam eum.

V/ Manus enim mea auxiliabitur ei,
et brachium meum confirmabit eum.

R/ Et ego suscipiam eum.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Et ego suscipiam eum.

Oratio (Br Goth 1258; Em 30, 162; OV 473)

Deus, qui consecratum tibi corpus Clementis martyris
infixum in limo profundi ad superos revocasti,
ut cuius mens tibi placita devotione inhaeserat,
eius corpori marina famularetur obsequia;
te quaesumus, te rogamus,
ut meritis huius martyris
nulla nos temptationum aqua operiat,
nulla etiam tempestas criminum
in peccatorum profundo demergat,
sed leni manus tuae remigio sustentati,
ad litus mereamur pervenire iustitiae, liberi.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 24; Em 30, 159)

(Ps 36,6; Ps 88,26)

Iustus miseretur et commodat,
et semen eius in benedictione erit,
et hereditas eius in aeternum.

*V/ Et ponam in mari manum eius,
et in fluminibus dexteram eius.*

R/ Et hereditas eius in aeternum.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Et hereditas eius in aeternum.

Oratio (Br Goth 1258)

Domine, qui beatissimum Clementem martyrem tuum,
de malignorum consilio liberas,
eruens illum de aquis multis,
et victorem efficiens in passionibus universis;
libera nos de manu filiorum alienorum,
ut insidiantibus inimicis,
vita nostra laedenda non pateat,

nec illorum proceritas saeva,
 de ruinae nostrae casibus hilarescat,
 sed gladio verbi tui accinti,
 et hic adversa superemus intrepidi,
 et post ad te mereamur pervenire illaesi et beati.

R/ Amen.

Per tuam magnam misericordiam, Deus noster,
 qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 24-25; Em 30, 161)

(Ps 68,3b; Ps 29,3; Ps 111,1)

Concluserunt me aquae in medio maris,
 et tempestas dimersit me, alleluia.

Clamavi ad te, Domine, et sanasti me,
 alleluia, alleluia.

V/ Beatus vir qui timet Dominum,
in mandatis eius volet nimis.

R/ Clamavi ad te, Domine, et sanasti me,
alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Clamavi ad te, Domine, et sanasti me,
alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1258)

Domine Deus,
 qui beatissimum Clementem martyrii corona decorasti,
 ut sanctificatus inter collegas,
 coronatus inter caelicolas praefulgeret;
 sit nunc, te annuente, plebi tuae praecipuus Patronus,
 qui magnus extitit in electis;
 ut quia non speravit in homine, sed te posuit in adiutorium,
 eius suffragio firmetur spes aucta credentium.

R/ Amen.

Per ineffabilem bonitatem tuam, Deus noster,
 qui vivis et cuncta dominaris in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 25; Em 30, 163)

(Cfr. Is 42,1; 52,13)

Auxiliabo pueru meo, dicit Dominus,
 quoniam electus meus est,

et suscipiet illum anima mea,
 ponam spiritum meum super eum,
 et super gentes iudicium iudicet, alleluia, alleluia.
V/ Ecce intelleget puer meus,
exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde.
R/ Quoniam electus meus est,
et suscipiet illum anima mea,
ponam spiritum meum super eum,
et super gentes iudicium iudicet, alleluia, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Quoniam electus meus est,
et suscipiet illum anima mea,
ponam spiritum meum super eum,
et super gentes iudicium iudicet, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1259)

Deus, qui corpus beatissimi martyris tui Clementis,
 in limo profundi nulla marinorum fluctuum fecisti lege teneri,
 ut altitudo illum nullo modo maris demergeret;
 qui insurgentes contra se,
 pro tuo nomine catervas hostium devicisset;
 interventu martyris tui,
 a cunctis nos temptationibus libera,
 et a profundo flagitiorum ereptos,
 in te placita conversationis luce exalta,
 ut, te opitulante, a vitiis careamus,
 et virtutibus abundemus.

R/ Amen.

Per gratiam pietatis tuae, Deus meus,
 qui vivis et cuncta dominaris in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psalmus L

*Antiphona (AL 57, 262, 377, 424; OV 547; EM 30, 338, 537; L4, 189;
 T35.7, 215)
 (Cfr. Ps 50,16)*

Libera me de viri sanguinum, Deus salutis meae.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Libera me de viri sanguinum, Deus salutis meae.

Oratio (Br Goth 1027)

Exultent, Domine, labia nostra paeconio veritatis,
 ut non resolvantur vaniloquio falsitatis;
 sicque lingua nostra iudicium veritatis loquatur,
 ut Christum tuum,
 verum iudicem promptissima devotione laudet;
 atque ita paecepta tua assidue in nostro corde versentur,
 ut gressus nostri
 ab insidiosis decipulis minime supplantentur.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Canticum VT (Br Goth 535-536)

(Ion 2,3-10)

Antiphona (Br Goth 1259; Em 30,165)

(Ion 2,4b-5)

Fluctus tui, Domine, super me transierunt. Et ego dixi: ex-pulsus sum ab oculis tuis, putans videbo templum sanctum tuum.

“Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, * et respondit mihi;
 de ventre inferni clamavi, * et exaudisti vocem meam.
 Et proiecisti me in profundum in corde maris, * et flumen
 circumdedit me;
 omnes gurgites tui et fluctus tui * super me transierunt.
 Et ego dixi: “Abiectus sum a conspectu oculorum tuorum; *
 veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum”
 Circumdederunt me aquae usque ad guttur, + abyssus
 vallavit me, * iuncus alligatus est capiti meo.
 Ad extrema montium descendi, * terrae vectes concluserunt
 me in aeternum,
 sed eduxisti de fovea vitam meam, * Domine, Deus meus.
 Cum angustiaretur in me anima mea, * Domini recordatus
 sum,
 et venit ad te oratio mea, * ad templum sanctum tuum.
 Qui colunt idola vana, * pietatem derelinquent;
 ego autem in voce laudis * immolabo tibi,
 quaecumque vovi, reddam; * salus Domini est”
 Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, * in saecula
 saeculorum. Amen.

Ant. Fluctus tui, Domine, super me transierunt. Et ego dixi: expulsus sum ab oculis tuis, putans videbo templum sanctum tuum.

Oratio de canto (Br Goth 536)

Salvator noster et Domine,
fac nos votum tibi ex corde puro vovere;
ut infatigabili cursu tua servantes praecepta,
patienter adversa cuncta toleremus praesentia.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Benedictiones

Antiphona (Br Goth 1259)

(Sir 11,24)

Benedictio Domini in mercedem iusti festinat.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Benedictio Domini in mercedem iusti festinat.

Oratio de benedictionibus

(Ut in ordinario in officio festivo)

Sonus (Br Goth 1259; Em 30, 167; cf. AL 138)

(Ps 129,1-3.7)

De profundis clamavi ad te, Domine,
Domine exaudi vocem meam;
fiant aures tuae intendentes,
ad orationem servi tui, alleluia.

V/ Si iniquitates observaveris, Domine,
Domine quis sustinebit?

Quoniam apud te propitiatio est,
et copiosa redemptio.

R/ Ad orationem servi tui, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Ad orationem servi tui, alleluia.

Psalmi laudate 148-150

Antiphona (Br Goth 992, 996, 998, 1002, 1007, 1010, 1028, 1032, 1062, 1072, 1105, 1114-1115, 1118, 1122-1123, 1127, 1132, 1137, 1142, 1147, 1151, 1157, 1204, 1217, 1264, 1283, 1298)
(Ps 148,1)

Laudate Dominum de caelis, alleluia, alleluia; laudate eum in excelsis, alleluia, alleluia.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Laudate Dominum de caelis, alleluia, alleluia; laudate eum in excelsis, alleluia, alleluia.

Lectio (Br Goth 1259)

(Sap 6,10-21)

Lectio libri Sapientiae Salomonis.

R/ Deo gratias.

Qui enim custodierint iusta iuste, iustificabuntur; et qui dicterint ista, invenient defensionem. Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos et habebitis disciplinam.

Clara est et, quae nunquam marcescit, sapientia; et facile videtur ab his, qui diligunt eam, et invenietur ab his, qui quaerunt illam.

Praeoccupat, qui eam concupiscunt, ut prior se ostendat illis. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit, assidentem enim illam foribus suis inveniet.

Cogitare ergo de illa sensus est consummatio; et qui vigilaverit propter illam, cito securus erit.

Quoniam dignos se ipsa circuit quaerens et in viis ostendit se illis hilariter et in omni providentia occurrit illis.

Initium enim illius verissima est disciplinae concupiscentia, cura vero disciplinae dilectio est, et dilectio custodia legum illius est, custoditio autem legum confirmatio incorruptionis est, incorruptionis autem facit esse proximum Deo; concupiscentia itaque sapientiae deducit ad regnum.

Si ergo delectamini sedibus et sceptris, o reges populi, colite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 1256-1257; Em 30, 168)

Clementis festum celebratur hodie:
venite plebes et miramini compotes,
asseclam Petri, Domini apostoli,
romanae sedis tertium Antistitem,
quem Christus sibi consecravit
martyrem.

Hic habitando in Urbe romulea
annuntiando Christum Dominum,
illuminavit Theodore Sisinium,
dum visum Petrum in sopore
perspicit;
sic a Clemente baptizatus credit.

Hic praedicando Christi evangelium,
et convocando catervas fidelium,
Trajani iussu ducitur in exilium,
Trans Pontum mare in praeruptum
eremum
ibi peregit insigne miraculum.

Aquarum venas ex abyssو eduxit,
et satiavit sitientes incolas;
qui per metalla excidebant marmora
et aestuabant tabe, et siti valida,
pro Christi nomen portantes
supplicia.

Quos ubi cernit beatus Pater, bino
poculum ferre sibi, millario,
hortatur cunctos ad praedicandum
Dominum;
ut suis fontem aperiret laticum,
sacris salubrem mire confessoribus

Ob hoc crescente aemula invidia,
profundo mari mergitur cum
anchora,
ibi humatur sepulchrali camera,
in qua receptus extat nunc ecclesia,
ubi fideles confluunt per saecula.

Qui cursu anni tectus aqua valida
alto in mari subtus undas latitat:
cuius recurrens annua festivitas,
recedens mare fere tria milliaria,
per septem dies vias praebet
fulgidas.

Cuius sepulchrum velut aurum
rutilat,
anchora colli ut argentum emicat:
fiunt virtutes per fideles petitas
agentes Deo gratias multimodas;
qui praestat sanctis tanta mirabilia.

Te ergo, Clemens martyr alme,
supplices
agonis tui celebrantes gaudia,
te hodierno poscimus cum fletibus,
ut reis adsis: succurras labentibus;
ac per te culpae careamus cumulo.

Exemplo tuo versi a peioribus,
ad meliora attendamus iugiter,
optima ambientes, et nos dignius,
mandata vitae servemus, felicius
ut post sanctorum adunemur
coetibus.

Quorum oblata dum litaret
immolans
sacer Antistes, meritis insignior,
Agnus adstare cernit sibi
Dominum,
signantem locum, quem ut idem
pupugit,
elicit undam affluentem in fluvium

Haec fama cunctas per gyrum
provincias
complens, tunc plebes ad credendum
excitat:
quae confluentes, suscepto
baptismate,
capiunt normam fidei catholicae;
condunt et aedes quindecenas
quinquies.

Ipsum rogamus Verbum Patris
Unicum,
et obsecremus alnumque Spiritum;
ut mundi procul auferat iactantiam,
virtutum nobis donet abundantiam:
per quem aeternam habeamus
gloriam.

Praesta, quaesumus, unita potentia
replensque globi cunctam solus
machinam,
virtute firmans, ingens adesto gloria
aeterna, cuius laus, et clementia,
et honor iugis, affatim per saecula.
Amen.

Versus (Br Goth 888; Em 30, 153)
(Ps 111,7)

V/ In memoria aeterna erit iustus.
R/ Ab auditione mala non timebit.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.
Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogamus;
ut per intercessionem sancti Clementis Papae et martyris,
remissionem peccatorum, et pacem nobis donare dignetur.
R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison
R/ Christe eleison, kyrie eleison.

Completuria (Br Goth 1260)

Christe Domine, qui es Ecclesiae tuae caput,
praesta, ut Clemens beatissimus martyr tuus
in corpore Ecclesiae constitutus,
qui tunc membra pro Capite dedit,
nunc Caput pro membris adire non cessen;
sed Capiti proximus regat totum, et protegat corpus;

id impendens liberius,
quod se exultat obtinuisse felicius.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (Br Goth 1257-1258)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Christus Dominus,
qui beatissimum Clementem episcopum,
nec infixum in limo profundi,
nec marinorum fluctuum fecit lege teneri;
ipse vos, a vestris coenosae voluptatibus
eripiat colluvionibus.

R/ Amen.

Et quia in altitudinem maris
corpus martyris scopulis non permittit teneri,
a cunctis vos temptationibus liberet,
et a profundo flagitorum eripiat.

R/ Amen.

Ut eodem patrocinante,
pervenire vos faciat ad gaudia infinita.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 1258)

(Cfr. Ion 2,6; Ps 29,3; ps 68,14)

Concluserunt me aquae in medio mari,
 et tempestas demersit, alleluia.
 Clamavi ad te, Domine, et sanasti me, alleluia, alleluia.
 V/ Ego vere orationem meam ad te Domine;
 tempus beneplaciti Deus.
 R/ Clamavi ad te, Domine, et sanasti me, alleluia, alleluia.
 V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
 R/ Clamavi ad te, Domine, et sanasti me, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1258)

Deus, qui consecratum tibi corpus Clementis martyris
 infixum in limo profundi ad superos revocasti,
 ut cuius mens tibi placita devotione inhaeserat,
 eius corpori marina famularetur obsequia;
 te quaesumus, te rogamus,
 ut meritis huius martyris
 nulla nos tentationum aqua operiat,
 nulla etiam tempestas criminum
 in peccatorum profundo demergat,
 sed leni manus tuae remigio sustentati,
 ad litus mereamur pervenire iustitiae, liberi.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ad vesperum

Oblatio luminis

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Vespertinum (AL 24; Br Goth 994)

(Ps 8,6b; Ps 20,6)

Gloria et honore coronasti eum, Domine.

V/ Gloriam et magnum decorem imposuisti super eum.

R/ Coronasti eum, Domine.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Coronasti eum, Domine.

Sonus (Br Goth 996)

(Ps 102,1a.3b-5b)

Benedic anima mea Dominum,
qui sanat omnes languores tuos;
et de interitu vitam tuam, alleluia.

V/ Qui coronat te in miseratione et misericordia;
renovabit sicut aquilae iuventutem tuam.

R/ Et de interitu vitam tuam, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et de interitu vitam tuam, alleluia.

Antiphona (AL 23; Em 30, 150; Br Goth 1256, 1259)

(Ps 68,3-4a.17a.2)

Infixus sum in limo profundi et non est substantia,
veni in altitudinem maris et tempestas dimersit me,
laboravi clamans, exaudi me Domine,
quoniam benigna est misericordia tua.

V/ Salvum me fac Deus,
quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.

R/ Exaudi me Domine,
quoniam benigna est misericordia tua.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua.

Alleluiaiticum (AL 24; Em 30, 151)

(Cfr. Ion 2,6; Ps 114,3b-4)

Circumdederunt me aquae usque ad animam, alleluia;
 pelagus undique me vallabit,
 in medio mari novissime liberasti me, Domine,
 alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Tribulationem et dolorem inveni,
 et nomen Domini invocavi.

R/ In medio mari novissime liberasti me, Domine,
 alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ In medio mari novissime liberasti me, Domine,
 alleluia, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 1256-1257; Em 30, 152)

Clementis festum celebratur hodie:
 venite plebes et miramini compotes,
 asseclam Petri Domini apostoli,
 romanae sedis tertium Antistitem,
 quem Christus sibi consecravit
 martyrem.

Hic habitando in Urbe romulea
 annuntiando Christum Dominum,
 illuminavit Theodore Sisinium,
 dum visum Petrum in sopore perspicit;
 sic a Clemente baptizatus credit.

Hic praedicando Christi evangelium,
 et convocando catervas fidelium,
 Trajani iussu ducitur in exilium,
 Trans Pontum mare in praeruptum
 eremum
 ibi peregit insigne miraculum.

Aquarum venas ex abysso eduxit,
 et satiavit sitientes incolas;
 qui per metalla excidebant marmora
 et aestuabant tabe, et siti valida,
 pro Christi nomen portantes
 supplicia.

Ob hoc crescente aemula invidia,
 profundo mari mergitur cum
 anchora,
 ibi humatur sepulchrali camera,
 in qua receptus extat nunc ecclesia,
 ubi fideles confluunt per saecula.

Qui cursu anni tectus aqua valida
 alto in mari subtus undas latitat:
 cuius recurrens annua festivitas,
 recedens mare fere tria milliaria,
 per septem dies vias praebet fulgidas.

Cuius sepulchrum velut aurum
 rutilat,
 anchora colli ut argentum emicat:
 fiunt virtutes per fideles petitas
 agentes Deo gratias multimodas;
 qui praestat sanctis tanta mirabilia.

Te ergo, Clemens martyr alme,
 supplices
 agonis tui celebrantes gaudia,
 te hodierno poscimus cum fletibus,
 ut reis adsis: succurras labentibus;
 ac per te culpae careamus cumulo.

Quos ubi cernit beatus Pater, bino
poculum ferre sibi, millario,
hortatur cunctos ad praedicandum
Dominum;
ut suis fontem aperiret laticum,
sacris salubrem mire confessoribus

Quorum oblata dum litaret
immolans
sacer Antistes, meritis insignior,
Agnum adstare cernit sibi
Dominum,
signantem locum, quem ut idem
pupugit,
elicit undam affluentem in fluvium

Haec fama cunctas per gyrum
provincias
complens, tunc plebes ad credendum
excitat:
quae confluentes, suscepto
baptismate,
capiunt normam fidei catholicae;
condunt et aedes quindecenas
quinquies.

Exemplo tuo versi a peioribus,
ad meliora attendamus iugiter,
optima ambientes, et nos dignius,
mandata vitae servemus, felicius
ut post sanctorum adunemur
coetibus.

Ipsum rogemus Verbum Patris
Unicum,
et obsecremus alnumque Spiritum;
ut mundi procul auferat iactantiam,
virtutum nobis donet abundantiam:
per quem aeternam habeamus
gloriam.

Praesta, quaesumus, unita potentia
replensque globi cunctam solus
machinam,
virtute firmans, ingens adesto gloria
aeterna, cuius laus, et clementia,
et honor iugis, affatim per saecula.
Amen.

Versus (Br Goth 888; Em 30, 153)
(Ps 111,7)

V/ In memoria aeterna erit iustus.
R/ Ab auditione mala non timebit.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.
Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per intercessionem sancti Clementis Papae et martyris,
remissionem peccatorum, et pacem nobis donare dignetur.
R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.
Kyrie eleison
R/ Christe eleison, kyrie eleison.

Compleuria (Br Goth 1257)

Omnipotens Deus,
qui beatissimum Clementem episcopum et martyrem,
passionum stimulis,
quasi minantium fluctuum cumulis,
probari, non obrui permissisti:
cum dimicantem nec poena superaret,
nec immersum unda supprimeret,
quia ei et illic adfuisti, ne cruciatibus vinceretur,
et hic praestitisti, ut contra natura fluctibus portaretur.
Miraculis tantis fidem omnibus praesta,
ut quod a celebrantibus devotissime creditur,
credentibus impensis conferatur.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (Em 30, 155)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Christus Dominus, qui praesciens est futurorum,
et beatum Clementem suorum exequabit meritis apostolorum,
faciat vos, eo intercedente, deposito onere peccatorum,
regnum introire caelorum.

R/ Amen.

Et qui illum suo munere ditavit ubertatem doctrinae,
et apostolatus exaltavit sapientiam,
ipse vos post nigredinem peccatorum,
consortes faciat angelorum.

R/ Amen.

Quique illum post exilii detentionem,
et palmam martyrii inter tumentes fluctus,
manu sepelivit angelica,

ipse vos faciat gaudia obtinere perpetua.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto,
unus Deus, vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 1258)

(Cfr. Ion 2,6; Ps 29,3; Ps 68,14)

Concluserunt me aquae in medio mari,
et tempestas demersit, alleluia.

Clamavi ad te, Domine, et sanasti me, alleluia, alleluia.

V/ Ego vere orationem meam ad te Domine;
tempus beneplaciti Deus.

R/ Clamavi ad te, Domine, et sanasti me, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Clamavi ad te, Domine, et sanasti me, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1258)

Deus, qui consecratum tibi corpus Clementis martyris
infixum in limo profundi ad superos revocasti,
ut cuius mens tibi placita devotione inhaeserat,
eius corpori marina famularetur obsequia;
te quaesumus, te rogamus,
ut meritis huius martyris
nulla nos temptationum aqua operiat,
nulla etiam tempestas criminum
in peccatorum profundo demergat,
sed leni manus tuae remigio sustentati,
ad litus mereamur pervenire iustitiae, liberi.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

27 novembris
Officium in diem sanctorum Facundi et Primitivi, martyrum

*Omnia dicantur ut in communi plurimorum Martyrum, praeter ea
quae sequuntur*

Hymnus (Em 30, 174; cfr. Hym Goth 172)

Gaudet nunc naviter iam toga candida,
sollemne agitur festum celebrius,
concurrunt pariter hymnoque
recinunt,
qui patre proditus saeculum
continet.

Moxque ut facti sunt martyres incliti
obviam iudici, inquiunt valide:
cur sanctos Domini incertum
provocas
et vis illicitis servire idolis?

Cunctumque rabidi per hoc satellites
orbem disquiritant, Christum
coletium
avidis faucibus luporum ritibus
sanguinem sitiunt, insontes
perimunt.

Munus proponitur annonam
porrigens,
ut, quos non vincerent tormenta
pessima,
vincerent gaudia, mundi illecebra,
ut sic illiceret corda innocentia.

Ut hoc pertonuit fines Gallaeciae,
lustrant continuo partes occiduas,
monitis abnuunt, quae Christus
indidit,
et suis imperant nefanda incolis.

Sed sancti Domini cuncta propelliunt,
putant sacrilegum, quidquid obtulere,
et sanctis manibus horrida tangere,
ac manent liberi ab omni crimine.

Praecones valide munera largitant,
qui esset deditus idolis servulus,
abundans copia, saeculi gloria
et manens in eo omni liminio.

Venena poculo miscens continuo,
guttur inicere sumentes avide,
nec eis nocuit tantis obscenibus,
quae sanctis praeparat, vesanus
impius.

Per mundi compita fama pervolitat,
ignari properant, certatim
confluunt,
dona mortalia optantes consequi,
cum quibus vividi merguntur Erebo.

Sustolli praecepit, caput demergere,
pelles detrahere, oculos effodi,
ut sic per triduum penderent
perpetim;
angelo Domini sani effecti sunt.

Idolum dedicans ara construitur,
pectoris verberans monet sic facere;
ut quis contemneret, acris suppliciis
vita necabitur, nomen delebitur.

Unus e populo increpans iudicem
cernit et obsecrat, nuntius Domini
dextra coronulis praestolat martyres,
ut sertis evehat aethera caelica.

Facundus, accola contiguus Dei,
qui fratri sanguine iungitur gratia,
ardore fidei ducuntur pariter
et furva denegant gentium idola.

Praeses ut infremens clamitat
turbidus
sanctos adducere vinctos et improbe
iubet satellites caedibus exsequi,
ut sanctos Domini perderent perfidi.

Tyrannus audiens vota fidelium,
accepta Domino esse ut comperit,
arrepto gladio martyrum capita
truncat, suavius vivent perennius.

Ob hoc caelicolae, acclines petimus,
nostrisque precibus aures apponite,
deferte sedula illi suspiria,
ut sit propitius cunctis, quae
gessimus.

Sit trino Domino gloria maxima,
sit compar Genito sitque Paraclito,
unus qui retinet sceptra perenniter
vincens perpetuis tempora saeculis. Amen.

28 novembris
Officium in diem sancti Caprasii, episcopi et martyris

Omnia dicantur ut in communi unius Martyris Pontificis

29 novembris
Officium in diem sancti Saturnini, episcopi et martyris
Memoria

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (T35.4, 820, 821, 822, 834; T35.7, 186; AL 36, 50, 56, 110, 395, 444, 476, 477; Em 30, 156, 258, 311, 444, 489, 764, 1327, 1413, 1446; S6, 420)

(Ps 3, 4b)

Gloria mea Deus, et exaltans caput meum.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)
Ant. Gloria mea Deus, et exaltans caput meum.

Collecta de psalmo III
(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Missa

Antiphona (AL 33; Em 30, 259)

(Mt 25,23; Ps 36,4; Ps 88,29)

Euge serve bone et fidelis,
quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam,
intra in gaudium Domini Dei tui.

V/ Delectare in Domino, et dabit tibi petiones cordis tui.

R/ Intra in gaudium Domini Dei tui.

V/ In aeternum servabo illi misericordiam meam,
et testamentum meum fidele ipsi.

R/ Intra in gaudium Domini Dei tui.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Intra in gaudium Domini Dei tui.

Oratio (Br Goth 1202)

Debitas tibi, Domine aeterne, referimus grates,
et Iesu Christo Domino nostro,
in cuius similitudinem beatissimus Saturninus,
dum offert victimam, ipse est victima;
dum sacerdotium elit, martyrium devotus implevit.
Obtineat igitur aput te, Deus summe,
ut des miseris indulgentiam post delictum,
qui meruit post sacerdotium subire martyrium.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 33; Em 30, 261)

(Cfr. Iob 2,3; Ps 36,30; Ps 88,22)

Ecce homo iustus sine querella, verus Dei cultor,
abstinet se ab omni opere malo,
et perseverat in innocentia.

V/ Os iusti meditabitur sapientiam,
et lingua eius loquetur iudicium.

R/ Abstinet se ab omni opere malo,
et perseverat in innocentia.

V/ Manus mea auxiliabitur ei,
et brachium meum confirmabit eum.

R/ Abstinet se ab omni opere malo,

et perseverat in innocentia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Abstinet se ab omni opere malo,
et perseverat in innocentia.*

Oratio (Br Goth 1261)

Christe Deus, omnium gratiarum largitor,
qui primum ac summum Tolosanae civitatis
famulum tuum Saturninum sacerdotem instituisti;
ad te, qui es retributor iustissimus,
sine confusione perveniamus.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 33; Em 30, 263)

(Cfr. Os 14,6; Ps 112,2; Ps 111,7)

Diligam eum ex toto corde meo, dicit Dominus,
et erit sicut ros Israel;
germinabit sicut lilyum et florebit alleluia.

*V/ Sit nomen Domini benedictum,
ex hoc nunc et usque in saeculum.*

R/ Germinabit sicut lilyum et florebit alleluia.

*V/ In memoria aeterna erit iustus,
ab auditione mala non timebit.*

R/ Germinabit sicut lilyum et florebit alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Germinabit sicut lilyum et florebit alleluia.

Oratio (Br Goth 1261-1262)

Domine Iesu Christe,
qui es ineffabilis bonitas et invicta potestas,
pro cuius nomine beatissimus Saturninus praesul et martyr,
dum litari aris daemoniacis renuit,
ad capitolium a turbis attrahitur,
furentique tauri suppicio consecratur;
tu, eius meritis, nostras suscipe preces,
et omnes fideles in commune pro tua miseratione iustifica.

R/Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/Amen.

Responsorium (AL 33-34)

(Cfr Gn 8,21; Ps 88,29)

Inveni unum iustum qui placuit ante me,
et dedi signum meum inter me et ipsum,
ut dum ceperit sacrificare mihi,
odorabo odorem suavitatis,
et memor ero testamenti sancti mei,
ut iam ultra non deleam universam carnem.

V/ In aeternum servabo illi misericordia mea,
et testamentum meum fidele ipsi.

R/ Ut iam ultra non deleam universam carnem.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Ut iam ultra non deleam universam carnem.

Oratio (Br Goth 1261)

Deus, qui os beatissimi martyris tui Saturnini episcopi,
ita sapientiae ubertate replesti,
ut diversitate virtutum circumseptus apparens,
iucunditate et decore illum caelesti gloriosum ostenderes,
quo et labia sua custodiens,
scientiam et legem in ore eius exquireres;
porridge ori nostro scientiae lucem,
et sapientiae verae perfectionem,
ut in eo quod ille tibi multos convertit ab iniquitate,
in eo nos iubeas perenniter converti et iucundari.

R/ Amen.

Per tuam magnam misericordiam, Deus noster,
qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R/ Amen.

(In AL exstat adhuc alia missa, sed quia nec in OV nec in Br Goth sunt orationes aptae antiphonis, omittitur)

*Psalmus L**Antiphona* (Br Goth 991, 995, 1012, 1017, 1020, 1027)

(Cfr. Ps 50,17)

Labia mea, Domine, aperies; et os meum annuntiabit laudem tuam.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Labia mea, Domine, aperies; et os meum annuntiabit laudem tuam.

Oratio (Br Goth 1027)

Exultent, Domine, labia nostra praeconio veritatis,
 ut non resolvantur vaniloquio falsitatis;
 sicque lingua nostra iudicium veritatis loquatur,
 ut Christum tuum,
 verum iudicem promptissima devotione laudet;
 atque ita praecepta tua assidue in nostro corde versentur,
 ut gressus nostri
 ab insidiosis decipulis minime supplantentur.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Canticum V. T. (Br Goth 130)

(1Sm 2,1-10)

Antiphona (Br Goth 130)

Thronum gloriae hereditas illius dat votum optanti, et
 benedicet annos iusti.

“Exultavit cor meum in Domino, * exaltatum est cornu
 meum in Deo meo;
 dilatatum est os meum super inimicos meos, * quoniam
 laetata sum in salutari tuo.
 Non est sanctus ut est Dominus; + neque enim est alius extra
 te, * et non est fortis sicut Deus noster.
 Nolite multiplicare loqui sublimia * gloriantes.
 Recedant superba de ore vestro, + quia Deus scientiarum
 Dominus est, * et ab eo ponderantur actiones.
 Arcus fortium confractus est, * et infirmi accinti sunt
 robore.
 Saturati prius pro pane se locaverunt, * et famelici non
 eguerunt amplius.

Sterilis peperit plurimos, * et, quae multos habebat filios, emarcuit.

Dominus mortificat et vivificat, * deducit ad inferum et reducit.

Dominus pauperem facit et ditat, * humiliat et sublevat; suscitat de pulvere egenum * et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus * et solium gloriae teneat.

Domini enim sunt cardines terrae, * et posuit super eos orbem.

Pedes sanctorum suorum servabit, + et impii in tenebris conticescent, * quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

Dominus conteret adversarios suos; * super ipsos in caelis tonabit.

Dominus iudicabit fines terrae + et dabit imperium regi suo * et sublimabit cornu Christi sui”.

Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto, * in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Thronum gloriae hereditas illius dat votum optanti, et benedicit annos iusti.

Oratio de cantico

Benedictiones

Antiphona (Br Goth 131)
(Sir 11,24)

Benedictio Domini in mercedem iusti festinat.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Benedictio Domini in mercedem iusti festinat.

Oratio de benedictionibus

(Ut in ordinario in officio festivo)

Sonus (AL 34; Em 30, 278)

(Ps 16,6; Sir 51,4; Ps 138,5)

Exaudisti me, Deus, et liberasti me, alleluia, alleluia.

V/ Tu formasti me et posuisti super me manum tuam.

R/ Et liberasti me, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto, in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et liberasti me, alleluia, alleluia.

Psalmi laudate 148 – 150

Antiphona (Br Goth 992, 996, 998, 1002, 1007, 1010, 1028, 1032, 1062, 1072, 1105, 1114-1115, 1118, 1122-1123, 1127, 1132, 1137, 1142, 1147, 1151, 1157, 1204, 1217, 1264, 1283, 1298)
(Ps 148,1)

Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis, alleluia.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis, alleluia.

Lectio (Br Goth 1204)

(Eccli 44,20b.21b; 45,8-9; 50,4-18)

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis.

R/ Deo gratias.

Vir iste conservavit legem Dei excelsi, et in tentatione inventus est fidelis.

Statuit illum in testamentum aeternum et dedit illi sacerdotium gentis, et beatificavit illum in gloria et circumcinxit eum zona gloriae. Et induit eum perfecto decore et coronavit eum in vasis virtutis.

Qui curavit gentem suam a latrone et firmavit eam ab obsidione. Quam gloriosus apparuit, cum prospiceret e tabernaculo in egressu domus velamenti!

Quasi stella matutina in medio nebulae et quasi luna plena in diebus festi et quasi sol refulgens super templum Dei.

Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae et quasi flos rosarum in diebus vernis et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae, et quasi flos Libani in diebus aestatis; quasi ignis effulgens et tus ardens in igne, quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso, quasi oliva pullulans fructibus et cupressus in nubes se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriae et vestiri eum in consummationem magnificentiae.

In ascensu altaris sancti, cum gloriam daret peribolo sanctuarii et acciperet partes de manu sacerdotum, et ipse stans iuxta aram, et circa illum corona fratrum, quasi plantatio cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt quasi rami palmae omnes filii Aaron in gloria sua.

Oblatio autem Domini in manibus ipsorum coram omni synagoga Israel, et consummatione fungens in ara, ordinans oblationem Omnipotentis.

Porrexit manum suam in libatione et libavit de sanguine uvae;
effudit in fundamento altaris odorem divinum excelso principi.

Tunc exclamaverunt filii Aaron, in tubis productilibus
sonuerunt et auditam fecerunt vocem magnam, in memoriam coram
Deo Altissimo.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 1260; Em 30, 254, 279)

Vocis auditae novitas refulsit,
regis adventum recinens Superni:
det suos terra pariendo flores,
iure colonis.

Ninguidis septa spatiis Tolosa
flagret accensa fidei calore;
quae Saturnino, reboante Christo,
martyre cepit.

Dogmate cuius simulacra cedunt;
cuius accessu reticere discunt
daemonum vafra dominantis ora
voce sopita.

Hic, Dei Patris Genitum colendum
praedicans voce, simul et cruore,
vincitur tauri pedibus litandus,
victima Christo.

Huius illaesi cineres, dicato
rite transferri tumulo merentur;
quo fides cultu, gemini honoris
aucta manerent.

Inde te, Christe, veniens, rogamus,
mitis apparens veniendo iustis,
nosque victorum socians coruscis
iunge coronis.

Gloriam psallat chorus, et resultet;
gloriam dicat, canat, et revolvat
nomini Trino, Deitati soli
sidera clament. Amen.

Versus (Em 30,280)

(Ps 111,2)

V/ Potens in terra erit semen eius.

R/ Generatio rectorum benedicetur.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per intercessionem sancti Saturnini episcopi et martyris,
remissionem peccatorum, et pacem donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (OV 83; Em 30, 281; Br Goth 1262)

Christe, Dei Filius,
qui iustus iudex ad iudicium sustineris,
da nobis iusti huius precibus,
emundari ab iniustitiis nostris;
ut, qui adventus tui,
triumphis eius celebranda admiscimus gaudia,
huius exceptione,
dona perennis munera consequamur.

R/ Amen.

Per Dominum nostrum Iesum Christum,
qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 84; Em 30, 282; Br Goth 1261)

Diac. Humiliate vos benedictioni
Presb. Dominus sit semper vobiscum.
R/ Et cum spiritu tuo.

Unigenitus Dei Patris Filius,
qui incarnationis suae potentiam ostendit in mundo,
iustificet dono.

R/ Amen.

Et qui ex fide sua iustum vivere facit,
ex pietate peccatores ab omni solvat contagione delicti.

R/ Amen.

Ut illustrati, et suffragio martyris et gaudio Redemptoris,
futurum diem adventus Christi intrepidi expectetis.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 1202)

(Ps 111,1-2)

Beatus vir qui timet Dominum, alleluia;
in mandatis eius cupit nimis,
alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Potens in terra erit semen eius,
generatio rectorum benedicetur.

R/ In mandatis eius cupit nimis,
alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ In mandatis eius cupit nimis,
alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1261)

Deus, qui os beatissimi martyris tui Saturnini episcopi,
ita sapientiae ubertate replesti,
ut diversitate virtutum circumseptus apparens,
iucunditate et decore illum caelesti gloriosum ostenderes,
quo et labia sua custodiens,
scientiam et legem in ore eius exquireres;
porrige ori nostro scientiae lucem,
et sapientiae verae perfectionem,
ut in eo quod ille tibi multos convertit ab iniquitate,
in eo nos iubeas perenniter converti et iucundari.

R/ Amen.

Per tuam magnam misericordiam, Deus noster,
qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ad vesperum

Oblatio luminis
(Ut in ordinario in officio festivo)

Vespertinum (AL 32)
 (Ps 129,5-6.4.2.6)

Sperabit anima mea in Domino,
 a custodia matutina usque ad nocte.
V/ Sustinuit anima mea in verbo tuo, Domine.
Fiant aures tuae intendentes ad orationem servi tui.
R/ Usque ad nocte.
V/ Speret israel in Domino a vigilia matutina.
R/ Usque ad nocte.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Usque ad nocte.

Sonus (AL 32)
 (Ps 102, 1.3b-5)

Benedic anima mea Domino
 qui sanat omnes languores tuos,
 et de interitu eripit vitam tuam, alleluia.
V/ Qui coronat te in miseratione et misericordia,
 renovabis sicut aquilae iuventute tua.
R/ Et de interitu eripit vitam tuam, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Et de interitu eripit vitam tuam, alleluia.

Antiphona (AL 33)
 (Is 62,1; Ps 88,22)

Propter Sion non tacebo,
 et propter Ierusalem non quiescam,
 quounque egrediatur ut splendor iustus eius,
 et salvator eius ut lampas accendatur.
V/ Manus enim mea auxiliabitur ei,
 et brachium meum confirmabit eum.
R/ Quousque egrediatur ut splendor iustus eius,
 et salvator eius ut lampas accendatur.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

*R/ Quousque egrediatur ut splendor iustus eius,
et salvator eius ut lampas accendatur.*

Alleluiaiticum (AL 33)

(Hab 2,3c.4c; Ps 111,2)

Veniet Dominus et non tardabit, alleluia;
iustus autem ex fide vivit, alleluia, alleluia.

V/ Potens in terra erit semen eius,
generatio rectorum benedicetur.

R/ Iustus autem ex fide vivit, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Iustus autem ex fide vivit, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 1260; Em 30,254, 279)

Vocis auditae novitas refulsit,
regis adventum recinens Superni:
det suos terra pariendo flores,
iure colonis.

Ninguidis septa spatiis Tolosa,
flagret accensa fidei calore;
quae Saturnino, reboante Christo,
martyre cepit.

Dogmate cuius simulacra cedunt;
cuius accessu reticere discunt,
daemonum vafra dominantis ora
voce sopita.

Hic, Dei Patris Genitum colendum
praedicans voce, simul et cruore,
vincitur tauri pedibus litandus
victima Christo.

Huius illaesi cineres, dicato
rite transferri tumulo merentur;
quo fides cultu, gemini honoris
aucta manerent.

Inde te, Christe, veniens, rogamus,
mitis apparens veniendo iustis,
nosque victorum socians coruscis
junge coronis.

Gloriam psallat chorus, et resultet;
gloriam dicat, canat, et revolvat
nomini Trino, Deitati soli
sidera clament. Amen.

Versus (Br Goth 888; Em 30, 255)

(Sap 10,10)

V/ Iustum deduxit Dominus per vias rectas.

R/ Et ostendit illi regnum Dei.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per intercessionem sancti Saturnini episcopi et martyris,
remissionem peccatorum, et pacem donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (OV 77; Br Goth 1261)

Magnum, Domine, pietatis est sacramentum,
quod ostensum est in carne, iustificatus est in spiritu,
apparuit angelis, praedicatum est gentibus,
creditum est in mundo, assumptum est in gloria,
quo iustus ex fide vivit, quo impius ad te recurrit:
quaesumus ergo,
ut qui illustratione adventus tui
praesentis martyris Saturnini episcopi
cor perlustrare dignatus es,
quo exortam poenis vitam
te in munere percepturus amitteret,
nostrum quoque cor digneris dono tuae gratiae emollire,
quo tibi peccata nostra devota fide pandamus,
a te etiam postulatum remedium impetremus;
ut te, quem ille nobiscum olim venisse iam credidit
pro mundi salvatione,
nos quoque per eum te venturum
mereamur liberatorem nostrum excipere.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 78; Br Goth 1261)

Diac. Humiliate vos benedictioni
Presb. Dominus sit semper vobiscum.
R/ Et cum spiritu tuo.

Christus Dei Filius, cuius fides iustificat impium,
 iusti huius precibus, vestrorum solvat vincula peccatorum.

R/ Amen.

Et qui venturus ad iudicium sustinetur,
 eius, cuius festum colitis, faciat vos obtinere consortium.

R/ Amen.

Ut cum hoc martyre adventus Christi gloria,
 vos, et in futuris gaudiis societ, et aeternitatis praemio ditet.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 1202)

(Ps 111,1-2)

Beatus vir qui timet Dominum, alleluia;
 in mandatis eius cupit nimis,
 alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Potens in terra erit semen eius,
 generatio rectorum benedicetur.

R/ In mandatis eius cupit nimis,
 alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ In mandatis eius cupit nimis,
 alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1261)

Deus, qui os beatissimi martyris tui Saturnini episcopi,
 ita sapientiae ubertate replesti,
 ut diversitate virtutum circumseptus apparens,
 iucunditate et decore illum caelesti gloriosum ostenderes,
 quo et labia sua custodiens,
 scientiam et legem in ore eius exquireres;
 porrige ori nostro scientiae lucem,
 et sapientiae verae perfectionem,

ut in eo quod ille tibi multos convertit ab iniuitate,
in eo nos iubeas perenniter converti et iucundari.

R/ Amen.

Per tuam magnam misericordiam, Deus noster,
qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Die 30 novembris
Officium in diem sancti Andreae Apostoli
Festivitas

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (T35.4, 820, 821, 822, 834; T35.7, 186; AL 36, 50, 56, 110, 395, 444, 476, 477; Em 30, 156, 258, 311, 444, 489, 764, 1327, 1413, 1446; S6, 420)

(Ps 3, 4b)

Gloria mea Deus, et exaltans caput meum.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Gloria mea Deus, et exaltans caput meum.

Collecta de psalmo III

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Missa I

Antiphona (AL 36-37; Em 30, 312)

(Gal 2,19-20; Ps 20,7)

Ego per legem, legi mortuus sum ut Deo vivam.

Christo confixus sum cruci;

vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus.

V/ Quoniam dabis eum benedictionem in saeculum saeculi.

R/ Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus.

Oratio (OV 87; Em 30, 313)

Per legem legi mortuos, evangelii tui gratia, Christe,
 tibi vivituros assignet;
 ut exemplo atque suffragio Andreeae apostoli tui,
 ita tuae configamur cruci, ut, te solo in nobis vivente,
 poenas evadamus inferni.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 37; Em 30, 314; Br Goth 1263)

(Gal 6,14; Ps 27,7)

Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini mei Iesu Christi,
 per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

V/ Et refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei.

R/ Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

Oratio (OV 88; Em 30, 315; Br Goth 1263)

Fac nos, Deus Pater,
 in Iesu Christi Filii tui Domini nostri cruce
 plenissime gloriari;
 ut confessio oris cum efficientia operis,
 sic concordet in nobis,
 qualiter verissime crucifigentes nos mundo,
 aeternitatis mereamur satiari de praemio.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiatricum (AL 37; Em 30, 316)

(Gal 6,17-18; Ps 115,3)

Ego stigmata Iesu in corpore meo porto, alleluia;
 gratia Dei cum spiritu vestro, alleluia.

V/ Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?

R/ Gratia Dei cum spiritu vestro, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,

in saecula saeculorum. Amen.

R/ Gratia Dei cum spiritu vestro, alleluia.

Oratio (OV 89; Em 30, 317)

Christe, Deus noster, cuius veneranda stigmata
beatissimus Andreas apostolus tuus
in suo corpore portans,
dum gloriam crucis pertulit corpori,
in ipso corpore cruci affigi promeruit;
da nobis, ut e veritate, qua ille amator factus est crucis,
ea etiam nos efficiamur operarii veritatis.

R/ Amen.

Ipsa auxiliante Domino, qui cum Patre et Spiritu Sancto,
unus Deus, gloriatur in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 37; Em 30, 327)

Vir iste locutus est dicens:
ego crucis Christi servus sum, alleluia;
et crucis trophyaeum optare potius debo
quam timere, alleluia.

V/ Vir Dei sanctus,
dum aspiceret in caelum voce magna clamabat.

R/ Ego crucis Christi servus sum, alleluia;
et crucis trophyaeum optare potius debo
quam timere, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Ego crucis Christi servus sum, alleluia;
et crucis trophyaeum optare potius debo
quam timere, alleluia.

Oratio (OV 90; Em 30, 320)

Oris apostolici desiderabile votum,
sancte Deus noster, magno opere cognoscentes,
quo se et regis Christi servum esse declamat,
et crucis trophyaeum optare se potius quam timere pronuntiat;
rogamus te, ut quibus dedisti fidem talia cognoscendi,
des etiam adiutorium talia operandi.

R/ Amen.

Per tuam magnam misericordiam, Deus noster,
qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Missa II

Antiphona (AL 37; Em 30, 321; Br Goth 1264)

(Ps 62,2)

Salve crux, accipe me et redde me Domino meo,
quia per te redemit me, ille qui pependit in te.

V/ Sitivit in te anima mea quam multipliciter caro mea.

R/ Quia per te redemit me, ille qui pependit in te.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Quia per te redemit me, ille qui pependit in te.

Oratio (OV 91; Em 30, 322; Br Goth 1264)

Crucis tuae, Domine, amore
apostolus tuus et martyr Andreas mirifice flagrans,
per eam se tibi Domino suo reddi exoptat,
per quam se redemptum esse non dubitat;
quaesumus ergo,
ut obtentu eius qui in eadem cruce pependit,
feliciter nos a cunctis potenter digneris
futurae ultionis cruciatibus liberare.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 37; Em 30, 323; Br Goth 1263-1264)

(Ps 62,4)

Salve crux,
quae diu fatigata requiescis expectans me,
certissime scio gaudere te,
suscipiens discipulum eius qui pependit in te.

V/ Labia mea laudabunt te.

R/ Certissime scio gaudere te,
suscipiens discipulum eius qui pependit in te.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Certissime scio gaudere te,
suscipiens discipulum eius qui pependit in te.

Oratio (OV 92; Em 30, 324; Br Goth 1264)

Sancte Dei Apostole,
 qui, diu fatigatam crucem
 in tua expectatione tandem requievisse,
 in tua perventione piis affectibus clamas;
 concede nobis plenum gaudium in tua passione habere,
 ut sufragio tuo nobis futurum praepares regnum,
 quibus non tam verbo,
 sed et sanguine reliquisti exemplorum utilium documentum.
R/ Amen.
 Ipso praestante et auxiliante, qui cum Patre et Filio,
 unus Deus, vivit et regnat in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 37; Em 30, 325)

(Ps 118, 116)

Salve crux,
 antequam te Dominus ascenderet,
 timorem terrenum habuisti, alleluia;
 modo vero amorem caelestem obtines, alleluia, alleluia.
V/ Suscipe me, secundum eloquium tuum et vivam.
R/ Modo vero amorem caelestem obtines, alleluia, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Modo vero amorem caelestem obtines, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 93; Em 30, 326)

Salve crux,
 quam et dominici corporis passio,
 et apostoli Andreeae consecravit appensio,
 quae terrenum licet timorem in praeteritis habueris,
 modo tamen amorem caelestem lucidius retinere probaris,
 cum per te membra suo capiti coniungenda remittis;
 quaesumus ergo,
 ut quae in membris Christi effecta es gloriosa,
 in nobis digneris esse conspicua;
 ut sicut in discipulo peregisti martyrium,
 ita in nobis opereris extirpationem carnalium voluptatum.
R/ Amen.
 Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui es benedictus,
 et vivit et omnia regit in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Responsorium (AL 37; Em 30, 318; Br Goth 1264)
 (Cfr Io 20,28; Gal 6,14)

Vir Dei sanctus, dum aspiceret in caelum,
 voce magna clamabat:
 tu es Deus meus et Dominus meus,
 quem vidi, in quem credidi, quem dilexi,
 ne me patiaris ab impio iudice deponi,
 quia iam secreta sanctae crucis agnosco.
V/ Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini mei Iesu Christi.
R/ Quem vidi, in quem credidi, quem dilexi,
 ne me patiaris ab impio iudice deponi,
 quia iam secreta sanctae crucis agnosco.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Quem vidi, in quem credidi, quem dilexi,
 ne me patiaris ab impio iudice deponi,
 quia iam secreta sanctae crucis agnosco.

Oratio (OV 94; Em 30, 319; Br Goth 1263)

Vir Dei sanctus Andreas, Christe, tuus ille apostolus,
 qui te vidisse illa visione paucis notissima protestatur,
 dum secreta sanctae crucis se agnoscisse fatetur,
 sit pro nobis apud te intercessor assiduus;
 ut qui te praedicavit voce simul et sanguine,
 nobis apud te opituletur et doctrina simul et prece.

R/ Amen.

Per misericordiam ipius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Missa III

Antiphona (AL 37-38; Em 30, 330)
 (Ps 70, 3.15)

Salve crux, quae in corpora Christi dedicata es,
 et ex membrorum eius margaritis ornata;
 accipe me, et redde me Domino meo qui per te redemit me.
V/ Esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum.
R/ Accipe me, et redde me Domino meo qui per te redemit me.
V/ Os meum annuntiabit iustitiam tuam tota die.

R/ Accipe me, et redde me Domino meo qui per te redemit me.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Accipe me, et redde me Domino meo qui per te redemit me.

Oratio (Em 30, 331)

Crux Christi, quem apostolus tuus Andreas intercedens,
tuis margaritis ornatum se praevidisse testatus est,
cum ad crucem sibi paratam veniret;
tu, obtentu ipsius apostoli tui,
cruciatus plebis tuae,
qui propter peccata ipsorum illis occurrunt,
ex toto corde te flagitantibus omnino dimitte,
et petitiones eorum libenter ac propitiatus exaudi.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 38; Em 30, 332)

(Ps 27,7)

Vivens de cruce in corpore deponi non potero,
iam enim regem meum video,
iam adoro et in eius conspectu consisto.

V/ Et refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei.

R/ Iam adoro et in eius conspectu consisto.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Iam adoro et in eius conspectu consisto.

Oratio (Em 30, 333)

Christe Iesu, quem apostolus tuus ex toto corde exoravit,
ut ab Egeam proconsule, vivens in corpore,
de cruce non deponeretur,
qui iam te regem suum videbat et adorabat,
et in tuo conspectu se consistere dixit;
te quaesumus, ut ipso apostolo intercedente,
precem populi tui exaudias,
et ab impugnatione inimicorum suorum,
solita miseratione salvifices atque defendas.

R/ Amen.

Ipso praestante et auxiliante,

qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in aeterna saecula saeculorum.
R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 38; Em 30, 334)

(Ps 115, 7)

Iam enim regem meum video, alleluia;
et in eius conspectu consisto, alleluia, alleluia.
V/ O Domine, quia ego servus tuus,
ego servus tuus et filius ancillae tuae.
R/ Et in eius conspectu consisto, alleluia, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Et in eius conspectu consisto, alleluia, alleluia.

Oratio (Em 30, 335)

Christe, Redemptor mundi,
quem fidelissimus apostolus tuus Andreas,
cum in cruce penderet,
populis annuntiabat te, regem suum, videre,
et in tuo conspectu consistere;
ipso apostolo tuo flagitante,
peccata populi tui pius omitte,
et ad indulgentiam omnium criminum suorum
pervenire concede.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 38; Em 30, 336)

Iam securus et gaudens venio ad te, salve crux,
et tu, exultans suscipe me, quia amator tuus semper fui,
et desideravi amplectere te.

V/ O bona crux, quae decorem et pulchritudinem
de membris Domini suscepisti,
diu desiderata, sollicite amata.

R/ Suscipe me, quia amator tuus semper fui,
et desideravi amplectere te.

V/ Salve crux quae sine intermissione quaesita es,
et aliquando iam concupiscenti anima praeparata,

accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo,
ut per te recipiat me, qui per te redemit me.

*R/ Quia amator tuus semper fui,
et desideravi amplectere te.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Suscipe me, quia amator tuus semper fui,
et desideravi amplectere te.*

Oratio (Em 30, 337)

Domine Deus, magne atque terribilis,
ad cuius crucem securum atque gaudentem
apostolus tuus Andreas venire praedixit:
tu, populum tuum ad eius festivitatem plena fide concurrentem,
hac redeuntem cum magna animi exultation abire permitte,
et culpas atque scelera quas tempore iudicii tui pertimescit,
misericors et placatus ex toto dimitte.

R/ Amen.

Quod ipse praestare dignetur,
cuius regnum et imperium sine fine permanent
in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psalmus L

Antiphona (AL 38)

(Cfr. Ps 50,16)

Libera me, Domine, de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Libera me, Domine, de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae.

Oratio (Br Goth 1027)

Exultent, Domine, labia nostra praeconio veritatis,
ut non resolvantur vaniloquio falsitatis;
sicque lingua nostra iudicium veritatis loquatur,
ut Christum tuum,
verum iudicem promptissima devotione laudet;
atque ita praecepta tua assidue in nostro corde versentur,
ut gressus nostri
ab insidiosis decipulis minime supplantentur.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster,
qui es benedictus,
et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Canticum VT (Br Goth 869; AL 420; Em 30, 339)

(Ier 17,7-8.14-18)

Antiphona (AL 420; Em 30, 339)

(Ier 17,7)

Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus
fiducia eius.

Benedictus vir, qui confidit in Domino, * et erit Dominus
fiducia eius;

et erit quasi lignum, * quod transplantatur super aquas,
quod ad humorem mittit radices suas * et non timebit, cum
venerit aestus:

et erit folium eius viride, + et in anno siccitatis non erit
sollicitum, * nec aliquando desinet facere fructum.

Sana me, Domine, et sanabor; + salvum me fac, et salvus ero,
* quoniam laus mea tu es.

Ecce ipsi dicunt ad me: * “Ubi est verbum Domini? Veniat”.

Et ego non institi pro malo apud te, * et diem calamitatis non
desideravi,

tu scis: quod egressum est de labiis meis, * rectum in
conspectu tuo fuit.

Non sis mihi tu formidini; * refugium meum tu in die
afflictionis.

Confundantur, qui me persequuntur, + et non confundar ego;
* paveant illi, et non paveam ego;

induc super eos diem afflictionis * et duplice contritione
contere eos.

Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto, * in saecula
saeculorum. Amen.

Ant. Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia
eius.

Oratio de cantico (Br Goth 450; OV 788)

Confundantur omnes, Domine,
qui persequuntur in nos nomen sanctum tuum,
et non confundamur nos,
qui veneramur et credimus,

et passionis tuae iniuriam,
 et resurrectionis tuae potentiam.
 Praevaleat ergo virtus gloriae tuae,
 quae, et persequentes te a pravitate deterreat,
 et credentes in aeternum tibi laetabundos coniungat.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri,
 qui vivit et omnia regit in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Benedictiones

Antiphona (Br Goth 1264; AL 38; Em 30, 340)
 (Eccli 11,24)

Benedictio Domini in mercedem iusti festinat.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Benedictio Domini in mercedem iusti festinat.

Oratio de benedictionibus

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Sonus (AL 38; Em 30, 341; Br Goth 1119)

O bona crux quae decorem et pulchritudinem
 de membris Domini suscepisti,
 diu desiderata, sollicite amata,
 sine intermissione quaesita, alleluia.

V/ Sancta crux, antequam te Dominus ascenderet
timorem terrenum habuisti,
modo vero quia inventa es amorem caelestem obtines,
pro voto susciperis, alleluia.

R/ Diu desiderata, sollicite amata,
sine intermissione quaesita, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Diu desiderata, sollicite amata,
sine intermissione quaesita, alleluia.

Psalmi laudate 148-150

Antiphona (Br Goth 992, 996, 998, 1002, 1007, 1010, 1028, 1032, 1062, 1072, 1105, 1114-1115, 1118, 1122-1123, 1127, 1132, 1137, 1142, 1147, 1151, 1157, 1204, 1217, 1264, 1283, 1298)
(Ps 148,1)

Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis, alleluia, alleluia.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis, alleluia, alleluia.

Lectio (Br Goth 126-127)

(Sap 4,7-15)

Lectio libri Sapientiae Salomonis.

R/ Deo gratias.

Iustus autem, si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

Senectus enim venerabilis, non quae est diurna, neque annorum numero computatur; cani autem sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata.

Placens Deo factus dilectus, et vivens inter peccatores translatus est; raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.

Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiae transvertit sensum sine malitia.

Consummatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatis.

Populi autem videntes, et non intelligentes, nec ponentes in praecordiis talia, quoniam gratia et misericordia Dei est in electis eius, et visitatio in sanctis illius.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 1264-1265)

Omnipotenti Domino
prostrati omnes supplices
reddamus gratias pro
Sancti Andreae certamine.

Redemptorem deprecans,
ipsum verum agnoscere,
daemonibus invidere,
fallacibus resistere.

Juvatus Christo Domino
praedicavit Achaiae:
convertitur omnis populus,
et sese Crucis tradidit.

En tibi Iesus omnipotens
cuius Cruce suspensus est,
e caelis evocatus est,
per fidem coronatus est.

Non timens cruciatibus;
sed se in Cruce postulat,
ut inde emigraverit
ad sedem veri Domini.

Tunc populi clamoribus
dantes voces in auribus,
Aegaei inique, perfide,
defende Apostolum.

Iam iam in Cruce positus
veritatem praedicans,
ornatus moribus bonis,
pius, sanctus, castissimus.

Aegaeas vero teterrimus
daemonibus arripitur,
inferno suscipitur,
tenebris sociatus est.

Frater vero ipsius,
tenens corpus Apostoli,
sepelivit intrepidus,
cum magna multitudine.

Deo Patri sit gloria,
eiusque soli Filio,
cum Spiritu Paraclito
regnans per omne saeculum.
Amen.

Versus (Em 30, 308)

(Ps 36, 30)

V/ Os iusti meditabitur sapientiam.

R/ Et lingua eius loquetur iudicium.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per intercessionem sancti Andreae apostoli,
remissionem peccatorum, et pacem donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Compleuria (OV 95; Em 30, 344; Br Goth 1265)

In tuo, Christe, corpore crucis tuae venerantes arcanum,
 quae, et te Dominum
 redemptionem inferentem mundo suscepit,
 et discipulum morientem melius victurum tibi restituit;
 rogamus te atque exponscimus:
 ut nos illi iungas in munere,
 cuius hic venerantes incolimus passionem.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 96; Em 30, 345)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Iesu Dei Filius,
 qui ea crucis appensione, qua se pati voluit,
 discipulum quoque Andream affigi permisit,
 det vobis in omnibus quae praeceperit,
 suae voluntatis sequi vestigia.

R/ Amen.

Et qui illius animam suscepit in cruce,
 corda vestra ab omni mundana colluvione depurget.

R/ Amen.

Ut veritas,
 quae illum fecit pro se constanter passionem excipere,
 ea vos faciat ad Christum sine confusione venire.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
 qui in Trinitate, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 996)

(Cfr. Ps 32,2; Ps 95,1)

In psalterio et cithara dicam: alleluia.

In psalterio decem cordarum dulcis sonus est,
alleluia, alleluia.

V/ Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.

R/ In psalterio decem cordarum dulcis sonus est,
alleluia, alleluia.V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.R/ In psalterio decem cordarum dulcis sonus est,
alleluia, alleluia.*Oratio* (Br Goth 1263)

Fac nos, Deus Pater,
 in Iesu Christi Filii tui Domini nostri cruce plenissime gloriari,
 ut confessio oris cum efficientia operis,
 sic concordet in nobis,
 qualiter verissime crucifigentes nos mundo,
 aeternitatis mereamur satiari de praemio.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ad vesperum*Oblatio luminis*

(Ut in ordinario in officio festivo)

Vespertinum (AL 36; Br Goth 994)

(Ps 8,6; Ps 20,6; Ps 20,5)

Gloria et honore coronasti eum, Domine.

V/ Gloriam et magnum decorum

posuisti super caput eius, Domine.

R/ Coronasti eum, Domine.

V/ Vitam petit, et tribuisti ei longitudinem dierum.

R/ Coronasti eum, Domine.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Coronasti eum, Domine.

Sonus (AL 36; Em 30, 306)

Alleluia, salve crux quae diu fatigata requiescis,
suscipe discipulum, cuius portasti magistrum, alleluia.

*V/ Alleluia, salve crux quae decorem et pulchritudinem
de membris Domini suscepisti, alleluia.*

Accipe me, et redde me Domino meo qui pependit in te.

R/ Suscipe discipulum, cuius portasti magistrum, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Suscipe discipulum, cuius portasti magistrum, alleluia.

Antiphona (AL 36)

(Mt 16,24-25; Mc 8,34-35; Lc 9,23-24; Ps 88,22)

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum,
et tollat crucem suam et sequatur me;
qui enim perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

*V/ Manus mea auxiliabitur ei,
et brachium meum confirmabit eum.*

*R/ Qui enim perdiderit animam suam propter me,
inveniet eam.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Qui enim perdiderit animam suam propter me,
inveniet eam.*

Alleluia (AL 36)

(Cfr. Ps 110,10; Ps 111,1)

Alleluia, qui timet Dominum, sapiens est,
quia crux Salvatoris vestigium eius est, alleluia, alleluia.

*V/ Beatus vir qui timet Dominum,
in mandatis eius volet nimis.*

R/ Quia crux Salvatoris vestigium eius est, alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Quia crux Salvatoris vestigium eius est, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 1262-1263; Em 30,307)

Decus sacrati nominis,
nomenque vitam exprimens,
hic te decorum praedicat
crucis beatae gloria.

In te crucis mysterium
cluit gemello stigmate;
dum probra vincis per crucem,
crucisque pandis sanguinem.

Andrea Christi Apostole,
hoc ipse iam vocabulo
decorus; idem mystice
signaris isto nomine.

Iam nos foveto languidos,
curamque nostri suscipe;
qui per crucis victoriam
caeli petamus patriam.

Quem crux ad alta provehit,
crux quem beata diligit,
cui crux amata praeparat
lucis futura gaudia.

Praesta Pater omnipotens,
per Iesum Christum Dominum,
qui tecum in perpetuum
regnat cum Sancto Spiritu. Amen.

Versus (Em 30, 308)

(Ps 36,30)

V/ Os iusti meditabitur sapientiam.

R/ Et lingua eius loquetur iudicium.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per intercessionem sancti Andreae apostoli,
remissionem peccatorum, et pacem donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (OV 85; Em 30,309; Br Goth 1263)

Christe, Deus noster, qui beatissimum Andream,
et apostolatus gratia, et martyrii decorasti corona;
hoc illi specialiter in munere praestans,
ut crucis praedicando mysterium,
ad crucis mereretur pervenire patibulum;
da nobis, ut sanctae crucis tuae verissimi amatores effecti,
abnegantes nosmetipsos
tollamus crucem nostram et sequamur te,
ut passionibus tuis in hac vita communicantes,
ad aeternam vitam mereamur pervenire.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto,
unus Deus, vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 86; Em 30, 310; Br Goth 1263)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Omnipotens Dominus,
qui animam Andree apostoli suscepit in cruce,
ab omni cruciatu vos liberet damnationis aeternae.

R/ Amen.

Et, quo praedicante, acquisivit sibi populos credituros,
eo precante, credentes efficiat gloriosos.

R/ Amen.

Ut exemplo Apostoli sui, crucis Christi amatores effecti,
et hic vitiorum superetis incendia,
et post ad aeternitatis mereamini pervenire promissa.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 991)

(Cfr. Ps 39,3c-4)

Statuit Dominus super petram pedes meos,
et direxit gressus meos,
et immisit in os meum, alleluia; hymnum Deo nostro, alleluia.

V/ Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi.

*R/ Et immisit in os meum, alleluia;
hymnum Deo nostro, alleluia.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Et immisit in os meum, alleluia;
hymnum Deo nostro, alleluia.*

Oratio (Br Goth 1263)

Vir Dei sanctus Andreas, Christe, tuus ille apostolus,
qui te vidisse illa visione pacis novissima protestatur,
dum secreta sanctae crucis se agnovisse fatetur,
sit pro nobis apud te intercessor assiduus,
ut, qui te praedicavit voce simul et corpore et sanguine,
nobis apud te opituletur et doctrina simul et prece.

R/ Amen.

Praestante ipsius misericordia Dei nostri,
qui cum Deo Patre et Sancto Spiritu,
unus Deus, gloriatur in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

(*In festo sancti Andree apostoli, traditio B, post officium matutinum,
proponit aliud officium vespertinum sub titulo: Exeunte vespero*)

Exeunte vespero

Oblatio luminis

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Vespertinum (Br Goth 996)

(Cfr. Ps 118, 105.108)

Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine,
lumen semitis meis.

*V/ Voluntaria oris mei comproba Deus,
et iudicia tua doce me.*

R/ Domine, lumen semitis meis.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Domine, lumen semitis meis.

Sonus (Br Goth 1119; AL 38; Em 30, 341)

O bona crux quae decorem et pulchritudinem
de membris Domini suscepisti,

diu desiderata, sollicite amata,
sine intermissione quaesita, alleluia.
*V/ Sancta crux, antequam te Dominus ascenderet
timorem terrenum habuisti,
modo vero quia inventa es amorem caelestem obtines,
pro voto susciperis, alleluia.*
*R/ Diu desiderata, sollicite amata,
sine intermissione quaesita, alleluia.*
*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*
*R/ Diu desiderata, sollicite amata,
sine intermissione quaesita, alleluia.*

Antiphona (Br Goth 1265)

(Cfr. Io 12,26; Ps 15,3-4)

Qui mihi ministrat, me sequatur,
et ubi ego sum, ibi erit et minister meus.
*V/ Quid retribuam Domino, pro omnibus quae praestitit mihi?
Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.*
R/ Et ubi ego sum, ibi erit et minister meus.
*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*
R/ Et ubi ego sum, ibi erit et minister meus.

Alleluiatricum (Br Goth 1265-1266)

(Cfr. Mt 25,23; Ps 127,2)

Euge serve bone et fidelis,
super pauca fuisti fidelis, in multa te collocabo;
intra in gaudium Domini tui, alleluia, alleluia.
*V/ Labores fructuum tuorum manducabis,
beatus es et bene tibi erit.*
R/ Intra in gaudium Domini tui, alleluia, alleluia.
*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*
R/ Intra in gaudium Domini tui, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Got 1262-1263; Em 30, 307, 343)

Decus sacrati nominis,
nomenque vitam exprimens,
hic te decorum praedicat
crucis beatae gloria.

In te crucis mysterium
cluit gemello stigmate;
dum probra vincis per crucem,
crucisque pandis sanguinem.

Andrea Christi Apostole,
hoc ipse iam vocabulo
decorus; idem mystice
signaris isto nomine.

Iam nos foveto languidos,
curamque nostri suscipe;
qui per crucis victoriam
caeli petamus patriam.

Quem crux ad alta provehit,
crux quem beata diligit,
cui crux amata praeparat
lucis futura gaudia.

Praesta Pater omnipotens,
per Iesum Christum Dominum,
qui tecum in perpetuum
regnat cum Sancto Spiritu. Amen.

Versus (Em 30, 308)

(Ps 36,30)

V/ Os iusti meditabitur sapientiam.

R/ Et lingua eius loquetur iudicium.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per intercessionem sancti Andreae apostoli,
remissionem peccatorum, et pacem donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (Br Goth 1266)

Deus, a quo Unicus Filius tuus in hunc mundum missus,
ac pro nobis in cruce suspensus,
nostrae redemptionis pretium dedit sanguinem suum,
ut reconciliati per eius mortem,
filiorum apud te promereamur adoptionem;
eiusdem nostri mediatoris obtentu,
nobis nec merentibus tribue,
ut possimus te Patrem fiducialiter appellare,
et oratione, quam ipso Domino docente, didicimus,
ad te non solum vocibus, sed et meritis proclamemus e terris:

*Pater noster**(Ut in ordinario in officio festivo)**Petitio**(Ut in ordinario in officio festivo)**Benedictio* (Br Goth 1266)*Diac.* Humiliate vos benedictioni.*Presb.* Dominus sit semper vobiscum.*R/* Et cum spiritu tuo.

Sanctus Andreas apostolus,
 qui pro crucifixo Domino ac Redemptore nostro,
 est in cruce suspensus,
 coram ipso Domino, gratiae providus existat semper Patronus.

R/ Amen.

Et ob cuius celebrandam solemnitatem,
 alacer est hodie vester conventus,
 sit pro peccatis vestris ante Deum intercessor assiduus.

R/ Amen.

Ac sicut hic sanctus virtute fretus Domini crucifixi,
 per crucis victoriam diabolum superavit,
 ita vos per mortificationem crucis, cuncta vitia conculcetis.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

*R/ Amen.**Psallendum* (Br Goth 991)*(Cfr. Ps 39,3c-4)*

Statuit Dominus super petram pedes meos,
 et direxit gressus meos,
 et immisit in os meum, alleluia; hymnum Deo nostro, alleluia.

V/ Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi.

R/ Et immisit in os meum, alleluia;
 hymnum Deo nostro, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et immisit in os meum, alleluia;
 hymnum Deo nostro, alleluia.

Oratio (Br Goth 1263)

Vir Dei sanctus Andreas, Christe, tuus ille apostolus,
 qui te vidisse illa visione pacis novissima protestatur,
 dum secreta sanctae crucis se agnovisse fatetur,
 sit pro nobis apud te intercessor assiduus,
 ut, qui te praedicavit voce simul et corpore et sanguine,
 nobis apud te opituletur et doctrina simul et prece.

R/ Amen.

Praestante ipsius misericordia Dei nostri,
 qui cum Deo Patre et Sancto Spiritu,
 unus Deus, gloriatur in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Die 6 decembris**Officium in diem Sanctorum Apolonii et comitum eius, martyrum**

Omnia dicuntur ut in commune plurimorum martyrum

Die 7 decembris**Officium in diem Sancti Nicolai, episcopi**

*Omnia dicuntur ut in communi Confessoris Pontificis, praeter ea
 quae sequuntur*

Ad matutinum*Hymnus* (Br Goth 1268)

Exultet aula caelica,
 laetetur mundi machina,
 dum refert solis orbita
 Nicolaï memoriam.

Qui vagitus infantiae
 decoravit mirifice,
 dans virtutum primordia
 inter ortus crepundia.

Cuius tumba fert oleum,
 matres olivae nesciunt:
 quod natura non protulit,
 marmor sudando parturit.

O venerande Pontifex!
 pius, nec tardus opifex
 cunctis, qui corde credulo
 te quaerunt in periculo.

Quarta cum sexta feria,
semel sugebat ubera,
iam in aetate tenera,
hac usus abstinentia.

Aufer mentis dispendia,
confer vitae stipendia;
ut post carnis exilia,
tecum simus in gloria.

Praesta Pater ingenite,
Iesu cum sacro Pneumate;
ut Nicolaï precibus,
caeli iungamur civibus. Amen.

Ad vesperum

Hymnus (Br Goth 1268)

Adest dies sanctissima
virtute sacra splendida,
qua Nicolaus sedibus
locatur in caelestibus.

Sic Praesul Christi nobilis
pro sanctitate meriti,
qui illum exornaverat
caelestis regni gloria.

Sic parvus infans corpore;
magnus tamen Dei fide:
quarta et sexta feria,
semel sugebat ubera.

Adesto Praesul inclyte,
precesque nostras suscipe,
offerque summo Praesuli,
preces devotas populi.

Virtute fulgens nobili,
ieiuniis, vigiliis,
domabat corpus iuvenis,
ne foedaretur vitiis.

Sit Trinitati gloria,
aeterna laus, et inclyta
Deo Patri, et Filio,
et flamini cum Spiritu. Amen

**Eodem die
Officium Sancti Ambrosii, episcopi**

Omnia dicuntur ut in communi Confessoris Pontificis

**Die 9 decembris
Officium in diem Sanctae Leocadiae, virginis et confessoris
Festivitas**

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (T35.4, 820, 821, 822, 834; T35.7, 186; AL 36, 50, 56, 110, 395, 444, 476, 477; Em 30, 156, 258, 311, 444, 489, 764, 1327, 1413, 1446; S6, 420)

(Cfr. Ps 3,4b)

Gloria mea Deus, et exaltans caput meum.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Gloria mea Deus, et exaltans caput meum.

Collecta de psalmo III

(Ut in ordinario in officio festivo)

Missa I

Antiphona (AL 50; Em 30, 445; Br Goth 1270)

(Cfr. Is 54,10; Ps 36,4)

Filia Sion, ego dilexi te, dicit Dominus,
et misericordia mea non recedet a te.

V/ Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.

R/ Et misericordia mea non recedet a te.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et misericordia mea non recedet a te.

Oratio (OV 123; Em 30, 446; Br Goth 1271)

Beata Dei virgo,
quae in Sion speculatione gloriosa consistis,
quam Deus ipse se dilexisse testatur,

et ex quo tibi non recessura ultra misericordia pollicetur;
da nobis meritis tuis, ut amore divino flagrantes,
in futuro iudicio inveniamur indemnes.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus,
et vivit et omnia regit in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 51; Em 30, 447; Br Goth 1271)

(Cfr. Za 2,10; So 3,17; Ps 44, 5.17)

Laetare, filia Sion, quia gaudebit super te Deus tuus,
silebit in dilectione tua, et exultabit super te in laude.

V/ Speciem et pulchritudinem tuam,
et intende, prospere, procede et regna.

R/ Et exultabit super te in laude.

V/ Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.

R/ Et exultabit super te in laude.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et exultabit super te in laude.

Oratio (OV 124; Em 30, 448; Br Goth 1271)

Laetare, filia Sion,
quia gaudet Unigenitus Dei Filius super te,
et exultat in laude, dum te,
et incorruptam esse virginem praestat,
et confessionis honore glorificat;
quaesumus proinde, ut per te qui utroque munere clares,
vita nostra, quae dono virginitatis caret,
confessionis saltem virtute fructificet.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 51; Em 30, 449)

(Cfr Mi 4,8; 5,2; Ps 147,1)

Filia Sion, usque ad te veniet dominator Israel,
et veniet potestas prima regnum, filiae Ierusalem,
egressio eius a diebus aeternitatis, alleluia.

V/ Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.

R/ Egressio eius a diebus aeternitatis, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Egressio eius a diebus aeternitatis, alleluia.

Oratio (OV 125; Em 30, 450)

Ecce filia Sion,
ad te usque dominator veniens Israel, potestas illa prima,
cuius egressio a diebus aeternitatis,
et occurso adventus sui,
per uterum Virginis facta est temporalis,
dedit tibi in ore devotissime confiteri,
vel quod ex Patre intemporaliter natus,
vel quod ex matre sit temporaliter genitus:
quaesumus ergo,
ut clarescat suffragiis tuis donum pietatis eius in nobis,
sicut nunc claret in meritis tuis;
ut qui tibi occurrit in saeculo gratissimus coronator,
nobis occurrat in futuro iudicio clementissimus liberator.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 51; Em 30, 451; Br Goth 1271)

(Za 9,9-10,17; 10,1,3)

Exulta satis, filia Sion, lauda et laetare filia Ierusalem,
quia ecce Rex tuus veniet tibi mitis et salvator,
ipse pauper ascendet super pullum filium subiugalis,
et dissipabitur arcus belli et loquetur pacem gentibus.
Quoniam potestas eius a mari usque ad mare,
et a fluminibus usque ad fines terrae;
quid enim bonum aut quid pulchrum eius est,
nisi frumentum electorum aut vinum germinans virgines.
Petite ab eo pluviam in tempore serotino,
et dabit imbre vobis et herbam in agris.

*V/ Visitabit Dominus gregem suum, domum Iuda,
et ponet eos quasi equum gloriae sua in bello.*

*R/ Quoniam potestas eius a mari usque ad mare,
et a fluminibus usque ad fines terrae;
quid enim bonum aut quid pulchrum eius est,
nisi frumentum electorum aut vinum germinans virgines.*

Petite ab eo pluviam in tempore serotino,
et dabit imbre vobis et herbam in agris.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Quoniam potestas eius a mari usque ad mare,
et a fluminibus usque ad fines terrae;
quid enim bonum aut quid pulchrum eius est,
nisi frumentum electorum aut vinum germinans virgines.
Petite ab eo pluviam in tempore serotino,
et dabit imbre vobis et herbam in agris.

Oratio (OV 126; Em 30, 452; Br Goth 1271)

Exulta satis, filia Sion, quia ecce Rex tuus veniet tibi mitis,
cuius dono et frumentum confessorum clarescit virtutibus,
et integritas virginum fulgescit laudibus;
praesta ergo nobis,
ut inter frumentum electorum
mereamur iustificati quandoque admitti,
qui nunc nostrorum operum manemus flagitiis coperti;
ut quae apud Deum meruisti de confessione coronam,
nobis confidentibus, obtineas apud ipsum
peccatorum nostrorum omnium indulgentiam.

R/ Amen.

Auxiliante sua misericordia qui vivit cum Deo Patre,
et regnat cum Spiritu Sancto,
unus Deus, in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Missa II

Antiphona (AL 51; Em 30, 453)

(Ps 110,1; Ps 9,2.5)

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo,
in concilio iustorum et congregazione.

V/ Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo,
narrabo omnia mirabilia tua.

R/ In concilio iustorum et congregazione.

V/ Quoniam fecisti iudicium meum et causam meam.

R/ In concilio iustorum et congregazione.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ In concilio iustorum et congregazione.

Oratio (OV 127; Em 30, 454)

Beatam satis, Domine,
 Leocadiam virginem et confessorem tuam esse fecisti,
 quae in toto corde suo tibi confessa,
 in concilio iustorum et congregazione probatur esse conspicua:
 da ergo nobis meritis eius;
 ut confessione simplici oris mundati a crimine,
 sanctorum mereamur et congregacioni et coetibus interesse.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 51; Em 30, 455)

(Ps 9,2-3a; Ps 21,23)

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo,
 narrabo mirabilia tua; laetabor et exultabo in te.

V/ Narrabo nomen tuum fratribus meis,
 in medio ecclesiae laudabo te.

R/ Laetabor et exultabo in te.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ Laetabor et exultabo in te.

Oratio (OV 128; Em 30, 456)

Ecce, Domine, in toto corde suo,
 te solum virgo Leocadia confitetur,
 dum et conceptum amorem tuae fidei narrat,
 et mirabilia tua devoto ore pronuntiat;
 laetare ergo et exultare nos fac in te, et iugiter et evidenter;
 ut in te habeamus post discrimina requiem,
 in quo illa post confessionem meruit invenire mercedem.

R/ Amen.

Praestante ipsius misericordia Dei nostri,
 qui in Trinitate, unus Deus,
 vivit et gloriatur in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 51; Em 30, 457)

(Cfr. Hab 3,18; Ps 103,33; Ps 147,7)

Ego in saecula gaudebo alleluia,
 confitebor alleluia, et psallam Deo alleluia.

V/ Converte anima mea in requiem tuam,
quia Dominus benefecit tibi.

R/ Et psallam Deo alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et psallam Deo alleluia.

Oratio (OV 129; Em 30, 458)

Deus, qui confessorem Leocadiam
in saecula saeculorum gaudere et exultare fecisti,
ut tibi soli sine fine psallens, laudis deferat hymnum,
cuius ex confessione meruit obtinere consortium;
te devotis cordibus possimus:
ut meritis eius vita nostra refloreat,
et a malis actibus emendata nitescat;
ut quae iam meretur pro criminibus poenam,
pro confessione et cultu fidei christianaee
futuram mereatur pervenire ad gloriam.

R/ Amen.

Praestante sua misericordia, qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 51-52; Em 30, 459)

(Ps 85,12; Ps 144,1)

Confitebor tibi, Domine Deus meus,
de toto corde meo, alleluia;
et honorificabo nomen tuum in aeternum,
alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Exaltabo te, Domine, rex meus et Deus meus,
et benedic nomini tuo in saeculum et in saeculum saeculi.

R/ Nomen tuum in aeternum, alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Nomen tuum in aeternum, alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 130; Em 30, 460)

Deus, Dei Filius,
quem Leocadia virgo in toto corde confessa,
nomen tuum honorificando perducta est ad coronam;
da in ore nostro confessionem
quae nos expurget a crimine,

ut quidquid in tuae laudis honore depromimus,
in lucro nobis prodesse aeterni muneris sentiamus.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Missa III

Antiphona (AL 52; Em 30, 461)

(Cfr. Ps 137,1-2)

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo,
quoniam exaudisti omnia verba oris mei;
et in conspectu angelorum psallam tibi.

V/ Adorabo ad templum sanctum tuum,
et confitebor nomini tuo.

R/ Et in conspectu angelorum psallam tibi.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. *Amen.*

R/ Et in conspectu angelorum psallam tibi.

Oratio (OV 131; Em 30, 462)

Deus, qui beatissimae Leocadiae confessionem acceptans,
ita omnia verba oris eius plenissime exaudisti,
ut participem eam efficeres regni tui,
quo in conspectu angelorum psalleret tibi;
accipe nunc per eam confessionis nostrae votum,
qui illa perduxisti ad praemium,
et qui illam confessorem fieri voluisti beatam,
nos, post lapsus quibus in hoc mundo decidimus,
ad aeternam coronandos pertrahas patriam.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 52; Em 30, 463)

(Ps 117,28; Ps 9,3)

Deus meus es tu et confitebor tibi,
Deus meus es tu et exaltabo te.

V/ Laetabor et exultabo in te, psallam nomini tuo Altissime.

R/ Deus meus es tu et exaltabo te.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Deus meus es tu et exaltabo te.

Oratio (OV 132; Em 30, 464)

Deus, quem fidelium lingua confitendo collaudat,
et confessorum devotio copiose exaltat;
praebe nobis, obtentu virginis tuae Leocadiae,
obtinere quae poscimus, et evadere quae timemus;
Deus enim noster es tu, et confitebimur tibi,
te quoque Deum in nostris cordibus exaltamus devoti:
fac nos ergo tibi indesinenter et opere simul et verbo haerere,
qui nos fecisti veritatem fidei christianaee cognoscere.

R/ Amen.

Per tuam magnam misericordiam, Deus noster,
qui vivis et cuncta dominaris in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 52; Em 30, 465)

(Ps 110,2-3; Ps 117,18)

Alleluia, magna opera Domini,
exquisita in omnes voluntates eius,
confessio et magnificentia opus eius, alleluia, alleluia.

*V/ Castigans castigavit me Dominus,
et morti non tradidit me.*

R/ Confessio et magnificentia opus eius, alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Confessio et magnificentia opus eius, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 133; Em 30, 466)

Omnipotens Domine, cuius magna sunt opera,
exquisita in omnes voluntates tuas,
dum tuis omne quod creasti deservit praceptis,
et, ut iubetur, tibi cuncta a te creata et condita famulantur;
qui virginem hanc,
et pro confessione claritatis munere ditas,
et pro virginitate gloriae dono remuneras,
dum et virgo persistit, et confessor adsistit;
intercessu eius te quaesumus,

nostris pacem largire temporibus,
 nostrisque veniam dona criminibus,
 tuisque animas supplicantum reple muneribus;
 ut quos indulgentiae favore tueris,
 beatitudinis munere indesinenter adornes.

R/ Amen.

Per ineffabilem bonitatem tuam, Deus noster,
 qui vivis et cuncta dominaris in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 52; Em 30, 467)

(Ps 70,21-22)

Multiplicasti misericordiam tuam, Domine,
 et ego confitebor tibi in vasis psalmorum, alleluia;
 psallam tibi in cithara, alleluia.

*V/ Quia ostendisti mihi tribulationes multas et malas,
 et conversus consolatus es me.*

*R/ Et ego confitebor tibi in vasis psalmorum, alleluia;
 psallam tibi in cithara, alleluia.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Et ego confitebor tibi in vasis psalmorum, alleluia;
 psallam tibi in cithara, alleluia.*

Oratio (OV 134; Em 30, 468)

Multiplicasti, Domine,
 misericordiam tuam in vasis psalmorum,
 dum beatam Leocadiam,
 et in coetibus virginum,
 et in numero voluisti consistere confessorum;
 psallimus proinde tibi in cithara fidei cristianaee,
 et dona creantis et merita confessoris:
 ut qui pium te coronatorem in illam voluisti monstrare,
 clementissimum te iubeas iudicem
 in futura nobis examinatione ostendere.

R/ Amen.

Per gratiam pietatis sua, qui in Trinitate, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Missa IV

Antiphona (AL 52; Em 30, 469; Br Goth 1272)

(Ct 6,9; Ps 44,11)

Egredere quasi aurora consurgens,
pulchra ut luna, et electa ut sol, et ornata.
V/ Audi filia, et vide et inclina aurem tuam,
et obliviscere populum tuum et domum patris tui.
R/ Pulchra ut luna, et electa ut sol, et ornata.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Pulchra ut luna, et electa ut sol, et ornata.

Oratio (OV 135; Em 30, 470; Br Goth 1272)

Gloriosa facta est virgo tua, Christe, Leocadia,
quae consurgentis aurorae comparata,
pulchra atque electa ut sol probatur et luna;
dum clariori rutilans lumine,
et ut luna plena crescit in confessione,
et, ut sol flagrans atque imminutionem sui nesciens,
sanctitatis persistit in opere;
da ergo nobis,
ut per eam apud te pro votis obtinere indulgentiam mereamur,
qui nunc pro delictis vel lacrimas fundimus,
vel gemitus exhibemus.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 52)

(Cfr. Is 51,9; 52,1; Ps 145,10; Is 1,26; 62,12; Ps 44,5)

Sion consurge et induere fortitudinem tua,
induere vestimentis gloriae tuae Ierusalem,
quoniam regnabit Dominus Deus tuus,
et vocaberis civitas quae sita et non derelicta.

V/ Speciem et pulchritudinem tuam,
et intende, prospere, procede et regna.

R/ Quoniam regnabit Dominus Deus tuus
et vocaberis civitas quae sita et non derelicta.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,

in saecula saeculorum. Amen.

*R/ Quoniam regnabit Dominus Deus tuus
et vocaberis civitas quae sita et non derelicta.*

Oratio (OV 136)

Deus, qui sanctae Leocadiae virginis et confessori tuae
consurgere mirabiliter praestas,
et gloriae tuae vestimentis eam exornas;
concede nobis, precibus eius,
ut confessionis veridice vestiti decore,
iustitia induit et sanctitate,
futura tibi praesentemur in requie.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 52)

(Cfr. Ct 2,13b.4.11b; Ps 147,1)

Speciosa facta es, alleluia;
et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata,
alleluia, alleluia.

V/ Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.

*R/ Et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata,
alleluia, alleluia.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata,
alleluia, alleluia.*

Oratio (OV 137; Em 30, 471)

Speciosa, Christe, Dei Filius,
in oculis fidelium virgo Leocadia,
annuis recursibus quodammodo pervidetur,
dum honor sepulchri eius humanis obtutibus praesentatur,
et obsequendus honorifice aperitur;
bonus ergo odor vestimentorum eius
super omnia aromata flagrat,
quia indicia virtutum illius exudanti claritate fructificant:
concede ergo nobis,
ut odor virtutum eius,
sopitum cordis nostri sensum ad paenitentiam excitet,

ut qui nunc percipimus ex odore laetitiam,
post percipiamus ex paenitentia gloriam indefessam.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 52)

(Cfr. Sir 24,19-20; Ct 2,14)

Speciosa et decora facta es, dicit Dominus,
et odor tuus velut balsamum non mixtum, alleluia;
facies autem tuam sicut sol splendens in ortu suo, alleluia.

V/ Vox enim tua dulcis et facies tua decora.

R/ Sicut sol splendens in ortu suo, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Sicut sol splendens in ortu suo, alleluia.

Oratio (OV 147; Br Goth 1272)

Domine, qui es supra omnes gentes excelsus,
et in caelestibus habitas gloriosus,
humilitatem nostram ab excelso intende placatus,
ac sicut Ecclesia tua, quae erat sterilitatis vitiis impedita,
nunc est, in te credens,
virtutum meritis plena et filiis numerosa;
ita, te tribuente, per interventum
gloriosae virginis et confessoris tuae Leocadiae,
mens nostra ab sterilitate operum infecunda,
possit et semen verbi suscipere,
et copiosis fructibus redundare;
nomenque tuum ubique praeclarum,
cordis ambiat unanimitate diligere, et fidei assensione laudare.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri,
qui vivit et omnia regit in saecula saeculorum.

R/ Amen.

*Psalmus L**Antiphona* (AL 53; Em 30, 472)

(Cfr. Ps 50,9)

Asparsit me Dominus Deus hysopo et mundabit me, lavabit
me et supra nivem dealbavit me.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Asparsit me Dominus Deus hysopo et mundabit me, lavabit me
et supra nivem dealbavit me.

Oratio (Em 30, 473)

Asperge nos, Christe Filius Dei, paenitentiae hysopo,
qui quotidie labimur in delicto.

Lava nos ab omni peccati contagio
per virginem tuam Leocadiam merito,
qui nostro peccati onere depresso
cecidimus in inferno profundo.

Ut eius interveniente suffragio,
cuius hodie sollemnia celebramus alacri voto,
supra nivem dealbati, caelesti collocemur in regno.

R/ Amen.

Ipsa praestante, qui vivit cum Deo Patre et Spiritu Sancto,
in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Canticum VT

(Zach 2,15-17)

Antiphona (Br Goth 872; AL 53; Em 30, 474)

(Zach 2,14)

Lauda et laetare filia Sion, quia ecce ego veniam et habitabo
in medio tui.

Et applicabuntur gentes multae ad Dominum in die illa * et
erunt ei in populum.

Et habitabo in medio tui, * et scies quia Dominus exercituum
misit me ad te.

Et possidebit Dominus Iudam + partem suam super terram
sanctam * et eliget adhuc Ierusalem.

Sileat omnis caro a facie Domini, * quia consurrexit de
habitaculo sancto suo.

Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto, * in saecula
saeculorum. Amen.

Ant. Lauda et laetare filia Sion, quia ecce ego veniam et habitabo in medio tui.

Oratio de cantico

Benedictiones

Antiphona (AL 53; Em 30, 475; Br Goth 1272)
(Cfr. II Esr 9,5)

Filia Sion, benedic Domino Deo excelso in omni benedictione et laude.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Filia Sion, benedic Domino Deo excelso in omni benedictione et laude.

Oratio de benedictionibus

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Sonus (AL 53)

(Ps 44,11-16)

Audi filia et vide et inclina aurem tuam,
quia concupabit rex pulchritudinem tuam, alleluia.
V/ Ipse est Dominus Deus tuus,
et adorabunt eum filiae in muneribus,
vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis,
omnis gloria eius.

R/ Quia concupabit rex pulchritudinem tuam, alleluia.
V/ Offerentur regi virginis post eam,
proximae eius adducentur tibi in laetitia et exultatione,
adducentur in templum regis.

R/ Quia concupabit rex pulchritudinem tuam, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Quia concupabit rex pulchritudinem tuam, alleluia.

Psalmi laudate 148-150

Antiphona (AL 53; Em 30, 477)
(Ps 150,1)

Laudate Dominum in sanctis eius, alleluia, alleluia.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Laudate Dominum in sanctis eius, alleluia, alleluia.

Lectio (Br Goth 1028)

(Ier 31,3-7)

Lectio libri Ieremiae prophetae.

R/ Deo gratias.

De longe Dominus apparuit mihi: “In caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te in misericordia. Rursumque aedificabo te, et aedificaberis, virgo Israel; adhuc ornaberis tympanis tuis et egredieris in choro ludentium.

Adhuc plantabis vineas in montibus Samariae; plantabunt plantantes et vindemiabunt. Quia erit dies, in qua clamabunt custodes in monte Ephraim: “Surgite, et ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum”.

Quia haec dicit Dominus: Exultate in laetitia propter Iacob et hinnite capiti gentium; personate, canite et dicite: “Salva, Domine, populum tuum, reliquias Israel”.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 1269-1270; AL 50; Em 30 439)

Sanctissimae Leocadiae
solemne festum prodiit
quo vana terrae respuens,
ad regna caeli transiit.

Omnis venite supplices,
cordis reatum pandite:
gaudendo vota solvite,
Deoque grates reddite.

Haec namque virgo nobilis,
exorta claro germine,
confessa Christum fortiter
paenas libenter pertulit.

Correpta iussu praesidis,
vaccis ligatur ferreis;
ut, vinculorum pondere
fides puellae cederet

Illic per abstinentiam
Christo placere cogitans,
laudum rependit gratias,
precumque defert victimas.

Sed mox beatae Eulaliae
mortem sacratam comperit:
in carcerali vinculo
caelo refudit spiritum.

Nunc virgo sancta, quasumus,
et lacrimando poscimus;
ut proba nostra diluas,
et vota Christo deferas.

Tu nostra civis inclyta,
tu es patrona vernula,
ad urbis huius termino
procul repelle taedium.

Non hostis hic praevaleat,
non morbus aut penuria:
recedat omne noxium,
et conferatur commodum.

Sic vita rebus affluat,
ne corda luxu sordeant,
cunctisque propter crimina
donetur indulgentia.

Deo perennis gloria,
et gratiarum copia,
qui cuncta volvit tempora,
et regnat ante saecula. Amen.

Versus (AL 50)

(Cfr. Ps 103,1-2)

V/ Confessionem et decorem induisti.

R/ Amictus lumine sicut vestimento.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per intercessionem sanctae Leocadiae virginis et confessoris,
remissionem peccatorum, et pacem donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (OV 148; Em 30, 478; Br Goth 1272-1273)

Gloriose ac misericors Domine,
qui beatae Leocadiae tibi nimis ore suo confiteri dedisti,
teque, in medio iustorum, eius confessione laudari voluisti,
ut eam et in terris confitentem,
et in consilio sanctorum glorificans, faceres exultantem;
exposcimus tui muneric donum,
ut eius precibus tribuas nobis a peccati contagione purgari,
ab ardoribus perpetuis erui,
et gloriae tuae beatitudinem consequi.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(Ut in ordinario in officio festivo)

Petitio

(Ut in ordinario in officio festivo)

Benedictio (OV 149; Em 30, 479; Br Goth 1273)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Deus, qui confessione indutus Leocadiae,
ad confessorum eam fecit pervenire decorem,
iustificet vos ab omni contagio culpae.

R/ Amen.

Et qui illam confessionis ubertate fecit esse conspicuam,
vos evidentia verae paenitentiae gloriosos efficiat.

R/ Amen.

Ut, sicut dulcis fuit in ore huius virginis confessio Christi,
ita dulcescat in vestris cordibus amor regni perpetui.

R/ Amen.

Adiuvante eius misericordia,
qui regnat in Trinitate, unus Deus,
et permanet in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 1012)

(Cfr Is 44,4; Ier 17,8)

Germinabunt ossa tua quasi salices, alleluia.

Iuxta fluentes aquas, alleluia, alleluia.

V/ Et erit tamquam lignum quod transplantatum est.

R/ Quasi salices, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Iuxta fluentes aquas, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 146)

Omnipotens Deus,
qui perpetuum lumen es, indeficiens claritas,
exalta cor nostrum humilitatis in gloria,
gratiarumque distributione tuos pauperes ciba;
et qui rectus corde ortus tui lumine claruisti,
quaesumus potentiam tuam,
interventu gloriosae virginis et confessoris tuae Leocadiae,
ipsius luminis vigore,
delictorum caliginem de cordibus nostris exclude,
et puritatis luce, ne in tenebris ambulemus,
corda nostra succende.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ad vesperum

Oblatio luminis

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Vespertinum (AL 50; Em 30, 435; Br Goth 1269)

(Cfr. Ps 103,1-2; Ps 95,6; Ps 70,22)

Confessionem et decorum induisti,
amicta luce sicut vestimento.

*V/ Confessio et species in conspectu eius,
sanctitas et magnificentia in sanctitate eius.*

R/ Amicta luce sicut vestimento.

V/ Induere vestimentis gloriae.

R/ Amicta luce sicut vestimento.

V/ Et ego confitebor Domino in vasis psalmorum.

R/ Amicta luce sicut vestimento.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Amicta luce sicut vestimento.

Sonus (AL 50; Em 30, 436; Br Goth 1010)

(Ps 9,2-3)

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo,
narrabo mirabilia tua, alleluia.

*V/ Laetabor et exultabo in te, Domine,
psallam nomini tuo Altissime, alleluia.*

R/ Narrabo mirabilia tua, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Narrabo mirabilia tua, alleluia.

Antiphona (AL 50; Em 30, 437)

(Ps 108,30; Ps 21,25)

Confitebor Domino nimis in ore meo,
et in medio multorum laudabo eum.

V/ Quoniam non sprevit,
neque despexit deprecationem pauperis.

R/ Et in medio multorum laudabo eum.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et in medio multorum laudabo eum.

Alleluiaiticum (AL 50; Em 30, 438; Br Goth 1269)

(Ps 7,18; Ps 114,2)

Confitebor Domino alleluia,
secundum iustitiam eius alleluia, et psallam alleluia.

V/ Quia inclinavit aurem suam mihi.

R/ Et psallam alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et psallam alleluia.

Hymnus (Br Goth 1269-1270; AL 50; Em 30, 439)

Sanctissimae Leocadiae
solemne festum prodiit
quo vana terrae respuens,
ad regna caeli transiit.

Sed mox beatae Eulaliae
mortem sacratam comperit:
in carcerali vinculo
caelo refudit spiritum.

Omnis venite supplices,
cordis reatum pandite:
gaudendo vota solvite,
Deoque grates reddite.

Nunc virgo sancta, quae sumus,
et lacrimando poscimus;
ut proba nostra diluas,
et vota Christo deferas.

Haec namque virgo nobilis,
exorta claro germine,
confessa Christum fortiter
paenas libenter pertulit.

Tu nostra civis inclyta,
tu es patrona vernula,
ad urbis huius termino
procul repelle taedium.

Correpta iussu praesidis,
vaccis ligatur ferreis;
ut, vinculorum pondere
fides puellae cederet.

Non hostis hic praevaleat,
non morbus aut penuria:
recedat omne noxiun,
et conferatur commodum.

Illic per abstinentiam
Christo placere cogitans,
laudum rependit gratias,
precumque defert victimas.

Sic vita rebus affluat,
ne corda luxu sordeant,
cunctisque propter crimina
donetur indulgentia.

Deo perennis gloria,
et gratiarum copia,
qui cuncta volvit tempora,
et regnat ante saecula. Amen.

Versus (AL 50)

(Cfr. Ps 103,1-2)

V/ Confessionem et decorem induisti.

R/ Amictus lumine sicut vestimento.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per intercessionem sanctae Leocadiae virginis et confessoris,
remissionem peccatorum, et pacem donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (OV 121; Em 30, 440; Br Goth 1270)

Domine Iesu Christe, qui es sponsus virginum,
et munere caelesti remunerator confessorum,
qui sanctam Leocadiam
et permanere virginem praestas,
et confessorem glorificas:
te acclines rogamus, ut interventu eius,
sicut illa confitendo caeleste promeruit regnum,
ita nos perpetuum evadamus supplicium.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

*Pater noster**(Ut in ordinario in officio festivo)**Petitio**(Ut in ordinario in officio festivo)**Benedictio* (OV 122; Em 30, 441; Br Goth 1270)*Diac.* Humiliate vos benedictioni.*Presb.* Dominus sit semper vobiscum.*R/ Et cum spiritu tuo.*

Christus Dominus, qui beatissimam Leocadiam
se digne confiteri coram hominibus fecit in terris,
confiteatur vos coram Patre suo qui est in caelis.

R/ Amen.

Et qui in ore eius accepta sibi confessionis contulit cantica,
ipse confessionem vestram remunerandam suscipiat.

R/ Amen.

Ut exemplo beatae virginis Leocadiae,
confitendo et laudando nomen Iesu Christi in saeculo,
participes eius, quem confessi estis,
mereamini esse in caelo.

R/ Amen.

Ipso praestante et auxiliante, qui cum Patre et Spiritu Sancto,
unus Deus, vivit et regnat in aeterna saecula saeculorum.

*R/ Amen.**Psallendum* (Br Goth 1270)

(Cfr Is 44,4; Ps 1,3)

Germinabunt ossa tua quasi salices, alleluia.

Iuxta fluentes aquas, alleluia, alleluia.

*R/ Quasi salices, alleluia**V/ Et erit tamquam lignum quod transplantatum est.**V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.**R/ Iuxta fluentes aquas, alleluia, alleluia.**Oratio* (Br Goth 1270)

Domine, qui es magnus et gloriosus,
da nobis famulis tuis,
ut, dum operum tuorum magnitudinem admiramus,
magnificentiam tuam debita confessione laudemus;

atque, intercessione
 gloriosae virginis et confessoris tuae Leocadiae,
 tribue nobis,
 perfectum intelligentiae decus, timoris oboedientia agere,
 et mandata tua fidelia omni custodia cordis diligenter explere.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

In traditione B, post matutinum, exstat aliud officium vespertinum sub titulo Exeunte vespera, quod est simile officio vespertino praecedenti.

Exeunte vespera

Oblatio luminis

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Vespertinum (Br Goth 1269; cfr. AL 50; Em 30, 435)

(Cfr. Ps 103,1-2; Ps 95,6)

Confessionem et decorum induisti,
 amictus sicut lumen vestimentum.

*V/ Confessio et spes in conspectu eius,
 sanctitas et magnificentia in sanctitate eius.*

R/ Amictus sicut lumen vestimentum.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Amictus sicut lumen vestimentam.

Sonus (Br Goth 1010; AL 50; Em 30, 436)

(Ps 9,2-3)

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo,
 narrabo mirabilia tua, alleluia.

*V/ Laetabor et exultabo in te, Domine,
 psallam nomini tuo Altissime, alleluia.*

R/ Narrabo mirabilia tua, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Narrabo mirabilia tua, alleluia.

Antiphona (Br Goth 1269)

(Ps 137,1; Ps 117, 28)

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo,

quia exaudisti verba oris mei.

In conspectu angelorum psallam tibi.

V/ Deus meus es tu, et confitebor tibi;

Deus meus exaltabo te.

R/ In conspectu angelorum psallam tibi.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,

in saecula saeculorum. Amen.

R/ In conspectu angelorum psallam tibi.

Alleluiaiticum (Br Goth 1269)

(Ps 7,18; Ps 9,3)

Confitebor Domino, alleluia;

secundum iustitiam eius, alleluia; et psallam, alleluia.

V/ Laetabor et exultabo in te,

et psallam nomini tuo Altissime.

R/ Et psallam, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,

in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et psallam, alleluia.

Hymnus (Br Goth 1269-1270; AL 50; Em 30, 439)

Sanctissimae Leocadiae
solemne festum prodiit
quo vana terrae respuens,
ad regna caeli transiit.

Sed mox beatae Eulaliae
mortem sacratam comperit:
in carcerali vinculo
caelo refudit spiritum.

Omnis venite supplices,
cordis reatum pandite:
gaudendo vota solvite,
Deoque grates reddite.

Nunc virgo sancta, quae sumus,
et lacrimando poscimus;
ut proba nostra diluas,
et vota Christo deferas.

Haec namque virgo nobilis,
exorta claro germine,
confessa Christum fortiter
paenas libenter pertulit.

Tu nostra civis inclyta,
tu es patrona vernula,
ad urbis huius termino
procul repelle taedium.

Correpta iussu praesidis,
vaccis ligatur ferreis;
ut, vinculorum pondere
fides puellae cederet.

Non hostis hic praevaleat,
non morbus aut penuria:
recedat omne noxiun,
et conferatur commodum.

Illic per abstinentiam
 Christo placere cogitans,
 laudum rependit gratias,
 precumque defert victimas.

Sic vita rebus affluat,
 ne corda luxu sordeant,
 cunctisque propter crimina
 donetur indulgentia.

Deo perennis gloria,
 et gratiarum copia,
 qui cuncta volvit tempora,
 et regnat ante saecula. Amen.

Versus (AL 50)

(Cfr. Ps 103,1-2)

V/ Confessionem et decorem induisti.

R/ Amictus lumine sicut vestimento.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
 cum omni supplicatione rogemus;
 ut per intercessionem sanctae Leocadiae virginis et confessoris,
 remissionem peccatorum, et pacem donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Compleuria (Br Goth 1273)

Accipe, Deus, nostrorum confessionem labiorum,
 omniumque ligamenta solve facinorum;
 quo huius virginis tuae Leocadiae prece,
 et vitiis careamus, et muneribus ampliemur,
 cum ad te proclaimaverimus e terris:

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (Br Goth 1273)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Christus Dei Filius,
qui in confessione sui nominis spiritum suscepit Leocadiae,
vestram suscipiat fidelem, remuneraturus, devotionem.

R/ Amen.

Quique Confessoris huius festum,
in canticis confessionum attolitis,
a Deo remuneremini sempiternis.

R/ Amen.

Ut illic remuneranda proveniat devotio vestra,
quo beatissimae Leocadiae confessio perducta est munera.

R/ Amen.

Concedente gratia divinitatis illius,
qui est benedictus in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 1270)

(Cfr Is 44,4; Ps 1,3)

Germinabunt ossa tua quasi salices, alleluia.

Iuxta fluentes aquas, alleluia, alleluia.

R/ Quasi salices, alleluia

V/ Et erit tamquam lignum quod transplantatum est.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Iuxta fluentes aquas, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1270)

Domine, qui es magnus et gloriosus,
da nobis famulis tuis,
ut, dum operum tuorum magnitudinem admiramus,
magnificentiam tuam debita confessione laudemus;
atque, intercessione
gloriosae virginis et confessoris tuae Leocadiae,
tribue nobis,
perfectum intelligentiae decus, timoris oboedientia agere,
et mandata tua fidelia omni custodia cordis diligenter explere.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Die 10 decemboris

**Officium in diem Sanctae Eulaliae Emeritensis, virginis et martyris
Festivitas**

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (T35.4, 820, 821, 822, 834; T35.7, 186; AL 36, 50, 56, 110, 395, 444, 476, 477; Em 30, 156, 258, 311, 444, 489, 764, 1327, 1413, 1446; S6, 420)
(Ps 3, 4b)

Gloria mea Deus, et exaltans caput meum.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Gloria mea Deus, et exaltans caput meum.

Collecta de psalmo III

(Ut in ordinario in officio festivo)

Missa I

Antiphona (AL 56; Em 30, 490)

(Ct 4,8; 2,14; Ps 44,8)

Veni de Libano sponsa, veni a Libano veni, coronaberis;
ostende mihi faciem tuam et vox tua in auribus meis,
vox enim tua dulcis et facies decora.

V/ Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem.

R/ Vox enim tua dulcis et facies decora.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Vox enim tua dulcis et facies decora.

Oratio (OV 155; Em 30, 491; Br Goth 1280)

Sponsa Christi, virgo Eulalia, quae a Libano,
a candore utique baptismatis,
venis dum e lavacro fidem percipis,
per quam inter filias Ierusalem mirifice coronaris;
per te quaesumus,
candorem castitatis mereamur attingere,
quae Christo de virginitate meruisti placere,

ut per te profectum obtineamus virtutum,
per quam devicta est crudelitas persequentum.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 56; Em 30, 492; Br Goth 1278-1279)

(Ct. 2,13; 3,11-12; 4,1; Ps 44,11.17)

Surge, propera sponsa mea et veni,
iam enim hiems transiit et recessit,
flores apparuerunt in terram nostram.

Quam pulchra es amica mea et quam decora,
pulchriores oculi tui columbarum,
absque hoc intrinsecus latet.

V/ Audi filia et vide et inclina aurem tuam.

R/ Pulchriores oculi tui columbarum,
absque hoc intrinsecus latet.

V/ Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.

R/ Pulchriores oculi tui columbarum,
absque hoc intrinsecus latet.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. *Amen.*

R/ Pulchriores oculi tui columbarum,
absque hoc intrinsecus latet.

Oratio (OV 156; Em 30, 493; Br Goth 1279)

Virgo Christi Eulalia,
quae, ad vocem vocantis sponsi,
surrexisti ad fidem, properasti ad requiem,
sponsata de sanguine, formosa baptimate;
ecce iam hiems transiit, imber abiit,
quia omnis temporalis tribulatio a te devicta recessit:
recedat ergo a nostris mentibus,
te orante, impugnatio vitiorum;
ut qui credulitatis dono pleni consistimus,
sanctitatis ope plenissime fulciamur.

R/ Amen.

Per ineffabilem bonitatem tuam, Deus noster,
qui vivis et cuncta dominaris in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 56; Em 30, 494)

(Cfr. So 3,14-15; Ps 147,1)

Alleluia, gaudе filia Sion,
laetare et exulta in omni corde, filia Ierusalem,
quoniam abstulit inimicos tuos
rex Israel Dominus, alleluia, alleluia.

V/ Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.

R/ Quoniam abstulit inimicos tuos
rex Israel Dominus, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Quoniam abstulit inimicos tuos
rex Israel Dominus, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 157; Em 30, 495; Br Goth 1281)

Gaude et laetare, filia Sion,
quia abstulit Dominus inimicos tuos,
dum te in passione victricem,
et ab omni contagio haeresum reddidit innocentem;
quaesumus ergo:
ut meritis tuis ab omni tentatione salvemur,
qui diem tuum venerantes incolimus,
et qui in te viciisse credimus Christum,
nos per eam viciisse laetemur
impulsiones carnalium passionum.

R/ Amen.

Per gratiam pietatis suae,
qui es benedictus in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 56-57; Em 30, 496)

(Cfr. Ct. 5,7-8; 2,4-5; 3,2)

Invocavi proximum mihi et non audivit me,
invenerunt me custodes qui custodiebant civitatem,
tenuerunt me, percutserunt me,
tulerunt mihi palleum meum custodes murorum;
adiurabo vos, filiae Ierusalem,
in virtutibus et in viribus agri,
si inveneritis fratrem meum,
annuntiabitis illi quia vulnerata caritatis ego sum.

V/ Introduxit me in cellam vinariam,
ordinabit in me caritatem,

fulcite me floribus, stipate me malis.
R/ Quia vulnerata caritatis ego sum.
V/ Per vicos et plateas quaessivi
et non inveni quem dilexit anima mea.
R/ Quia vulnerata caritatis ego sum.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Quia vulnerata caritatis ego sum.

Oratio (OV 158; Em 30, 497)

Deus, qui beatissimam Eulaliam virginem
ab excubiis apostolicis, quasi a custodibus civitatis inventam,
amictu veteris hominis exuis,
et evangelicae doctrinae cor eius predicatione transfigis,
quo tanto amore ad passionem laeta concurrerat,
tantoque desiderio vulneratam se caritatis
eisdem custodibus nuntiaret;
da nobis:
ut cor nostrum vulneretur amore tuo,
quod torpenti vitiorum camino consistit in saeculo;
ut per te caritatis tuae nos ignis assumat exaestuans,
per quem martyr Eulalia victricem,
emisit animam inter flamas.

R/ Amen.
Per gratiam pietatis tuae, Deus noster,
qui vivis et regnas in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Missa II

Antiphona (AL 57; Em 30, 498)

(Ct. 2,10-12a; Ps 44,12)

Surge, propera formosa et veni,
iam hiems transiit, imber abiit et recessit,
flores apparuerunt in terram.
V/ Quia ipse est Dominus tuus, et adorabunt eum.
R/ Imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terram.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terram.

Oratio (OV 159; Em 30, 499)

Christe Dei Filius,
 ad quem beata Eulalia desiderabili voto pervenire desiderans,
 surrexit credens, properavit proficiens;
 ut quae formosa facta fuerat primum per lavacrum,
 excellentior redderetur stigmate passionum,
 et quae virtutum fuerat floribus decorata,
 florescentem redderet exemplo suo ecclesiam;
 da nobis meritis eius,
 ut labores nostri, in saeculo tibi placituri, semper adsistant,
 ut temporali cursu,
 quasi hiemalium tribulationum peracto stadio,
 ad fructus laborum nostrorum
 aeterno potituri mereamur pervenire solatio.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 57)

(Cfr. Ct 2,16-17; Ps 44,5)

Filia Ierusalem, intra in hortu meo
 quia flores tui germinaverunt in terram;
 pasce iam inter lilia donec aspiret dies
 et amoveantur umbrae.

V/ Specie tua et pulchritudine tua,
et intende, prospere procede et regna.

R/ Pasce iam inter lilia donec aspiret dies
et amoveantur umbrae.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Pasce iam inter lilia donec aspiret dies
et amoveantur umbrae.

Oratio (OV 160; Em 30, 500)

Iesu, Dei Filius,
 qui hortum electorum ingrediens, inter lilia pasceris,
 quando in corpore tuo, quod est Ecclesia,
 sanctorum virginum coetibus decoraris;
 ubi beatissimam Eulaliam mirabiliter introducens,
 ita mirificis eam floribus maluisti fulcire,

ut odor virtutum eius,
 tamquam floscula aromatum, in nos usque ascenderet;
 te supplici intentione rogamus:
 ut, amotis figuris veteris testamenti,
 quae velut umbrae in tipicis observationibus praecesserunt,
 dies ille evangelica utique traditio in nobis aspirando proficiat,
 qualiter ita exemplo virginis Eulaliae
 evangelii lucem tota devotione sequamur,
 ut umbras praeteriti et erroris et criminis nesciamus.

R/ Amen.

Per gratiam pietatis suae,
 qui es benedictus in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 57; Em 30, 501)

(Sir 24, 22-23; Ps 115,3)

Rami mei, rami odoris et gratiae, alleluia;
 et ego quasi vitis fructificavi, alleluia, alleluia.
V/ Quid retribuam Domino, pro omnibus quae retribuit mihi.

R/ Et ego quasi vitis fructificavi, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et ego quasi vitis fructificavi, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 161; Em 30, 502; Br Goth 1279)

Mira satis, Domine, arbor est radix tuae Ecclesiae,
 quae proficit et crescit usque ad perfectum diem,
 cuius rami martyres,
 cuius prependicula effecti sunt confessores,
 inter quos beatissima martyr Eulalia, quasi vitis fructificans,
 dum odorem gratiae fidelibus propinat in saeculo,
 aeterno promeretur consolari de praemio;
 quaesumus ergo:

ut suffragiis eius odore virtutum, odores criminum fugiamus,
 ut caelesti illo spiramine recreati,
 a cunctorum vitiorum foetoribus exules repperiamur, et sobrii.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 57; Em 30, 503)

(Cfr. Ct 2,10.12; So 3,14)

Audi dilecta mea, propera et veni, dicit Dominus;
 flores enim tui apparuerunt in terra,
 quia tempus advenit, alleluia, alleluia.
V/ Gaude filia Sion, laetare et exulta in omni corde.
R/ Quia tempus advenit, alleluia, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Quia tempus advenit, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 162; Em 30, 504; Br Goth 1281-1282)

Audi et suscipe precantium vota, delecta Dei virgo Eulalia,
 quae sponsa Christi de fide, soror monstraris esse de sanguine;
 effluant in nobis flores virtutum, effugiat umbra temptationum;
 exemplo tuo proficiamus in melius,
 ne in deterius consistentes vitae dona perdamus;
 ut cum tempus putationis advenerit,
 et fides, qua Christum credimus, nos liberet a suppliciis,
 et affectus, quo illi propinquare nitimur,
 nos ditet muneribus sempiternis.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

*R/ Amen.**Psalmus L**Antiphona* (AL 57, 262, 377, 424; OV, 547; Em 30, 338, 537; L4, 189;
T35.7, 215)

(Cfr. Ps 50, 16)

Libera me de viri sanguinum, Deus salutis meae.

*(Ut in ordinario in officio festivo)**Ant.* Libera me de viri sanguinum, Deus salutis meae.*Oratio* (Br Goth 1027)

Exultent, Domine, labia nostra praeconio veritatis,
 ut non resolvantur vaniloquio falsitatis;
 sicque lingua nostra iudicium veritatis loquatur,
 ut Christum tuum,
 verum iudicem promptissima devotione laudet;

atque ita praecepta tua assidue in nostro corde versentur,
ut gressus nostri

ab insidiosis decipulis minime supplantentur.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Canticum VT (AL 57; Em 30, 538; Br Goth 871)

(Is 61,10 – 62,7)

Antiphona (AL 57; Em 30, 538)

(Is 61,10)

Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo
meo

Gaudens gaudebo in Domino * et exsultabit anima mea in
Deo meo,

quia induit me vestimentis salutis * et indumento iustitiae
circumdedicit me,

quasi sponsum decoratum corona * et quasi sponsam
ornatam monilibus suis.

Sicut enim terra profert germen suum * et sicut hortus semen
suum germinat,

sic Dominus Deus germinabit iustitiam * et laudem coram
universis gentibus.

Propter Sion non tacebo * et propter Ierusalem non
quiescam,

donec egrediatur ut splendor iustitia eius, * et salus eius ut
lampas accendatur.

Et videbunt gentes iustitiam tuam * et cuncti reges gloriam
tuam;

et vocaberis nomine novo, * quod os Domini nominabit.

Et eris corona gloriae in manu Domini * et diadema regni in
manu Dei tui.

Non vocaberis ultra Derelicta, * et terra tua non vocabitur
amplius Desolata;

sed vocaberis Beneplacitum meum in ea, * et terra Nupta,
quia complacuit Domino in te, * et terra tua erit nupta.

Nam ut iuvenis uxorem dicit virginem, * ita ducent te filii tui;
ut gaudet sponsus super sponsam, * ita gaudebit super te
Deus tuus.

Super muros tuos Ierusalem constitui custodes; * tota die et

tota nocte, in perpetuo non tacebunt.

Qui commonetis Dominum, ne taceatis + et ne detis silentium ei, * donec stabiliat et donec ponat Ierusalem laudem in terra.

Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto, * in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo.

Oratio de cantico

Benedictiones

Antiphona (Br Goth 1283)

Filia Sion, benedic Domino Deo excelso, in omni benedictione et laude.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Filia Sion, benedic Domino Deo excelso, in omni benedictione et laude.

Oratio de benedictionibus

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Sonus (Br Goth 1283)

(Cfr. Is 37,22; Lam 2,13; Ct 2,12.17)

Alleluia, egredere post vestigia gregum tuorum,
virgo filia Sion, et pasce agnos tuos,
alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Alleluia, intra in hortum meum,
sponsa mea, filia Ierusalem.

Ecce flores tui germinabunt in terram.

Pasce iam inter lilia, donec respiret dies,
et amoveantur umbrae.

R/ Et pasce agnos tuos, alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et pasce agnos tuos, alleluia, alleluia, alleluia.

Psalmi laudate 148-150

Antiphona (AL 57)

(Ps 150,1)

Laudate Dominum in sanctis eius, alleluia, alleluia, alleluia.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Laudate Dominum in sanctis eius, alleluia, alleluia, alleluia.

Lectio (Br Goth 1283-1284)

(Eccli 24, 1b-4.17-31)

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis.

R/ Deo gratias.

Sapientia laudabit animam suam, et in Deo honorabitur et in medio populi sui gloriabitur et in ecclesia Altissimi aperiet os suum et in conspectu virtutis illius gloriabitur et in medio populi sui exaltabitur et in plenitudine sancta admirabitur et in multitudine electorum habebit laudem et inter benedictos benedicetur dicens:

“Quasi cedrus exaltata sum in Libano et quasi cupressus in montibus Hermon. Quasi palma exaltata sum in Engaddi et quasi plantatio rosae in Iericho. Quasi oliva speciosa in campis et quasi platanus exaltata sum iuxta aquam in plateis.

Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Et quasi storax et galbanus et ungula et gutta, et quasi libani vapor in tabernaculo. Et quasi terebintus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiae. Ego quasi vitis germinavi gratiam, et flores mei fructus honoris et honestatis.

Ego mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei. In me gratia omnis vitae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. Doctrina enim mea super mel dulcis et hereditas mea super mel et favum; memoria mea in generationes saeculorum. Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sient. Qui audit me, non confundetur; et qui operantur in me, non peccabunt: qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.”

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 1284; Em 30, 485)

Laudem beatae Eulaliae puro canamus pectore: quam Christus inter martyres casto sacravit sanguine.	Lentoque primo verbere Christi puella caeditur; sed consecrare pernegat libamen aris impium.
Quae clausa duris postibus, interque fortes cardines; somni cibique nescia Christo canebat pervigil.	Tunc in recesso stipite ductis in altum brachiis, latus puellae caeditur, nudaque flammis uritur.
Custos tremendi luminis lux stupebat in vinculis, in carceris angustia mentis beatae gaudia.	Victor recedit spiritus, corpus relinquens pallidum; quod lege mortis perditum reducat ad vitam Deus.
Iudex furore turbidus, surgit cruentibus faucibus, et increpat noctis moram, Sanctam daturus hostiam.	Iam, iam quieti psallite, Patrique laudem dicite, Christumque laudemus pium, simulque Sanctum Spiritum.
Haec nos redemit Trinitas, cuius perennis gloria in saecula nescit mori, vivens per omne saeculum. Amen.	

Versus (AL 56; Em 30, 540; Br Goth 888)
(Ps 44,5)

V/ Specie tua et pulchritudine tua.
R/ Intende, prospere, procede et regna.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.
Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per intercessionem sanctae Eulaliae virginis et martyris,
remissionem peccatorum, et pacem donare dignetur.
R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.
Kyrie eleison
R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (OV 182; Em 30, 541; Br Goth 1285)

Domine Iesu Christe,
 qui sanctae Eulaliae tuae arcana possidens,
 ei et virginitatis pudorem, et passionis tribuisti roborem,
 dum et pudica in secreto, et invicta in foro
 et illic manet ut te promereatur,
 et hic vincit ut a te coronetur:
 annue precibus eius,
 ut conscientiam nostram ita pudor possideat,
 ne deserat fortitudo
 illic tranquilla maneat, ne contaminetur;
 hic vincere studeat, ut probetur.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 183; Em 30, 542; Br Goth 1285)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Dominus Jesus Christus,
 qui sanctam Eulaliam constantia roboravit,
 vos in temptatione robustos statuat.

R/ Amen.

Qui eam passione glorificavit,
 a vobis passionum ignominiam tergat.

R/ Amen.

Qui illam inter tormenta victricem tortorum fuit,
 vos inter turbines mundi eruat ab omni eventu periculi.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
 qui in Trinitate unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (AL 56)

(Ct 3,4)

Alleluia, inveni quem dilexit anima mea,
tenebo et non dimittam, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 178; Em 30, 536)

Converte nos, Domine,
vota Ecclesiae tuae ob honorem martyris Eulalia ferventia;
et, quae sibi donari fides singulorum postulat, praesta;
nec regredi nostrorum copiam sinas reum,
qui tremens conscientia
in hoc sollemni exhibet famulam tuam.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ad vesperum

Oblatio luminis

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Vespertinum (AL 55)

(Ps 26,1; Ps 102,1-2.4)

Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?
V/ Dominus defensor vitae meae, a quo trepidabo?

R/ Quem timebo?

V/ Benedic anima mea Domino,
et omnia interiora mea nomini sancto eius.

R/ Quem timebo?

V/ Benedic anima mea Domino,
et noli oblivisci omnes retribuciones eius.

R/ Quem timebo?

V/ Qui redimit de interitu vitam tuam,

qui coronat te in miseratione et misericordia.

R/ Quem timebo?

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Quem timebo?

Sonus (AL 55; Br Goth 1283)

(Ct 1,7; 2,9.17)

Alleluia, ingredere tu in vestigiis gregum tuorum,
virgo filia Sion, et pasce agnos tuos, alleluia, alleluia.

*V/ Alleluia, intra in hortum meum,
sponsa mea, filia Ierusalem,
flores enim tui germinabunt in terra;
cresce iam, dicit Dominus,
donec aspiret dies et amoveantur umbrae, alleluia.*

R/ Et pasce agnos tuos, alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Et pasce agnos tuos, alleluia, alleluia.

Antiphona (AL 56; Br Goth 1274)

(Cfr. Ct 2,14; 5, 2; Ps 44,10)

Columba speciosa perfecta, auro et gemmis praecinta;
caput meum plenum est rore caeli, et crines guttis noctium.

V/ Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato.

R/ Caput meum plenum est rore caeli, et crines guttis noctium.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Caput meum plenum est rore caeli, et crines guttis noctium.

Alleluiaiticum (AL 56)

(Ps 67,14; Ps 34,4)

Inter medios clerros pinnae columbae deargentatae, alleluia;
et super scapula sua in viriditate auri, alleluia, alleluia.

*V/ Quoniam Iacob elegit sibi Dominus,
Israel in possessionem sibi.*

R/ Et super scapula sua in viriditate auri, alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Et super scapula sua in viriditate auri, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 1284; Em 30, 485)

(*Quamquam in traditione A et B pro vespris assignetur hymnus: "Germine nobili", tamen, quia nimis longum est (45 strophae), adhibemus hymnum pro officio matutino in traditione A et B*)

Laudem beatae Eulaliae
puro canamus pectore:
quam Christus inter martyres
casto sacravit sanguine.

Quae clausa duris postibus,
interque fortes cardines;
somni cibique nescia
Christo canebat pervigil.

Custos tremendi luminis
lux stupebat in vinculis,
in carceris angustia
mentis beatae gaudia.

Iudex furore turbidus,
surgit cruentibus faucibus,
et increpat noctis moram,
Sanctam daturus hostiam.

Haec nos redemit Trinitas,
cuius perennis gloria
in saecla nescit mori,
vivens per omne saeculum. Amen.

Lentoque primo verbere
Christi puella caeditur;
sed consecrare pernegat
libamen aris impium.

Tunc in recesso stipite
ductis in altum brachiis,
latus puellae caeditur,
nudaque flammis uritur.

Victor recedit spiritus,
corpus relinquens pallidum;
quod lege mortis perditum
reducat ad vitam Deus.

Iam, iam quieti psallite,
Patrique laudem dicite,
Christumque laudemus pium,
simulque Sanctum Spiritum.

Versus (Br Goth 888; AL 56; Em 30, 540)

(Ps 44,5)

*V/ Specie tua et pulchritudine tua.
R/ Intende, prospere, procede et regna.*

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per intercessionem sanctae Eulaliae virginis et martyris,

remissionem peccatorum, et pacem donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (OV 153; Em 30, 486)

Domine Iesu Christe,

cui beata Eulalia et virgo placuit, et martyr adhaesit;

dum tibi et virgo permanet casta,

et pro te extenditur in catastia;

dum tibi proprium corpus servat integrum,

et pro te gaudet unguis exaratum;

eius pudicitiae atque victoriae favens,

nobis propitius esse dignare,

ut et immunditiae nostrae eius oratione abluantur,

et tormenta eius fortitudine exsolvantur.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,

qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,

vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 154; Em 30, 487; Br Goth 1278)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Deus virtutum, qui sanctam Eulaliam
dum ad passionem vocat, ad gloriam provehit,
det vobis nec vitiorum passionibus attingi,
et a passionum vitiis liberari.

R/ Amen.

Quae sua membra non vitiis,
sed pro Deo passionibus subdidit,
obtineat vos numquam tentationum certaminibus vinci.

R/ Amen.

Ut sicut illa post passionem obtinuit coronam,
ita vos per paenitentiam veniatis ad veniam.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (AL 56)

(Ct 3,4)

Alleluia, inveni quem dilexit anima mea,
tenebo et non dimittam, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1278)

Domine Iesu Christe,
qui beatam Eulaliam virginem, in tenero aetatis statu,
nec mundi illecebras,
nec persecutorum permisisti superari tormentis;
in qua munere tuo, nec sexus vincitur, nec affectus;
cuius constantiam nec saevitia terruit, nec paena edomuit,
nec ungula minuit, nec flamma compescuit;
huius ergo deprecatio pro nobis ita apud te praevaleat,
ut mala a nobis praesentia, futuraque removeat.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

(*In traditione B extat aliud officium vespertinum, cuius titulus: In exeunte vespera*)

In exeunte vespera

Oblatio luminis

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Vespertinum (Br Goth 996)

(Cfr. Ps 118,105.108)

Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine,

lumen semitis meis.

*V/ Voluntaria oris mei comproba Deus,
et iudicia tua doce me.*

R/ Domine, lumen semitis meis.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Domine, lumen semitis meis.

Sonus (Br Goth 1028)

*Dominus Deus caeli benedicat tibi;
honor regni dabitur in manu tua,
et adorabunt coram te filii multarum gentium, alleluia.*

*V/ Audi filia Sion, quia exaltata es,
et facies tua fulget in templo Dei;
sol iustitiae ingressu tuo orietur, alleluia, alleluia.*

R/ Et adorabunt coram te filii multarum gentium, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Et adorabunt coram te filii multarum gentium, alleluia.

Antiphona (Br Goth 1285)

(Cfr. Za 9,9; Ps 86,3)

*Gaude filia Sion, iubila filia Ierusalem,
ecce Rex tuus venit tibi iustus, conservans.*

V/ Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.

R/ Ecce Rex tuus venit tibi iustus, conservans.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Ecce Rex tuus venit tibi iustus, conservans.

Alleluiaiticum (Br Goth 1026)

(Ps 44,5)

*Specie et pulchritudine tua intende,
prospere, procede et regna,
alleluia, alleluia, alleluia.*

*V/ Propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam,
et deducet te mirabiliter dextera tua.*

*R/ Intende, prospere, procede et regna,
alleluia, alleluia, alleluia.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Intende, prospere, procede et regna,

alleluia, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 1284; Em 30, 485)

Laudem beatae Eulaliae puro canamus pectore: quam Christus inter martyres casto sacravit sanguine.	Lentoque primo verbere Christi puella caeditur; sed consecrare pernegat libamen aris impium.
Quae clausa duris postibus, interque fortes cardines; somni cibique nescia Christo canebat pervigil.	Tunc in recesso stipite ductis in altum brachiis, latus puellae caeditur, nudaque flammis uritur.
Custos tremendi luminis lux stupebat in vinculis, in carceris angustia mentis beatae gaudia.	Victor recedit spiritus, corpus relinquens pallidum; quod lege mortis perditum reducat ad vitam Deus.
Iudex furore turbidus, surgit cruentibus faucibus, et increpat noctis moram, Sanctam daturus hostiam.	Iam, iam quieti psallite, Patrique laudem dicite, Christumque laudemus pium, simulque Sanctum Spiritum.
Haec nos redemit Trinitas, cuius perennis gloria in saecla nescit mori, vivens per omne saeculum. Amen.	

Versus (Br Goth 888; AL 56)

(Ps 44,5)

V/ Specie tua et pulchritudine tua.
R/ Intende, prospere, procede et regna.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per intercessionem sanctae Eulaliae virginis et martyris,
remissionem peccatorum, et pacem donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (Br Goth 1285; OV 182; Em 30, 541)

Domine Iesu Christe,
 qui sanctae Eulaliae tuae arcana possidens,
 ei et virginitatis pudorem, et passionis tribuisti roborem,
 dum et pudica in secreto, et invicta in foro
 et illic manet ut te promereatur,
 et hic vincit ut a te coronetur:
 annue precibus eius,
 ut conscientiam nostram ita pudor possideat,
 ne deserat fortitudo
 illuc tranquilla maneat, ne contaminetur;
 hic vincere studeat, ut probetur.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (Br Goth 1285; OV 183)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Dominus Iesus Christus,
 qui sanctam Eulaliam constantia roboravit,
 vos in temptatione robustos statuat.

R/ Amen.

Qui eam passione glorificavit,
 a vobis passionum ignominiam tergat.

R/ Amen.

Qui illam inter tormenta victricem tortorum fuit,
 vos inter turbines mundi eruat ab omni eventu periculi.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
 qui in Trinitate unus Deus,

vivit et regant in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 1278)

(Sir 24,18-19.23)

Sicut palma exaltata sum in gaudio, alleluia.
 Et sicut oliva speciosa in campis, alleluia.
 Sicut vitis fructificavi suavitatem odoris,
 alleluia, alleluia, alleluia.
 V/ Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Domini sperabo;
 et in misericordia Dei mei in aeternum,
 et in saeculum saeculi.
R/ Sicut vitis fructificavi suavitatem odoris,
 alleluia, alleluia, alleluia.
 V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Sicut vitis fructificavi suavitatem odoris,
 alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1278)

Domine Iesu Christe,
 qui beatam Eulaliam virginem, in tenero aetatis statu,
 nec mundi illecebras,
 nec persecutorum permisisti superari tormentis;
 in qua munere tuo, nec sexus vincitur, nec affectus;
 cuius constantiam nec saevitia terruit, nec paena edomuit,
 nec ungula minuit, nec flamma compescuit;
 huius ergo deprecatio pro nobis ita apud te praevaleat,
 ut mala a nobis praesentia, futuraque removeat.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
 qui in Trinitate, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Die 11 decembris
Officium in diem sancti Pauli, confessoris
Omnia dicantur ut in commune unius Confessoris

Die 12 decembris
Officium in diem sanctae Luciae, virginis et martyris
Omnia dicantur ut in commune unius Virginis et Martyris

Die 14 decembris
Officium in diem sanctorum Iusti et Abundii, martyrum
Memoria

Ad matutinum

Psalmus III
Antiphona (AL 12, 17, 478)
 (Ps 3,9)
 Super populum tuum benedictio tua.

(Ut in ordinario in officio festivo)
Ant. Super populum tuum benedictio tua.

Collecta de psalmo III
(Ut in ordinario in officio festivo)

Missa

Antiphona (Br Goth 1254)
 (Cfr. Dn 8,17; 9,24; Ps 31,6)
 Implebitur visio, dicit Dominus,
 ut veniat Sanctus sanctorum,
 et finem accipiat peccatum.
 V/ Veruntamen in diluvio aquarum multarum,
 ad eum non approximabunt.
 R/ Ut veniat Sanctus sanctorum,
 et finem accipiat peccatum.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Ut veniat Sanctus sanctorum, et finem accipiat peccatum.

Oratio (Br Goth 1254)

Deus, qui in loco sanctificationis,
te ungi Sanctum sanctorum prophetali vaticinio praedixisti;
collata in nos tuae unctionis mysteria, inviolata conserva:
ut qui iniquitate deleta, ita finem peccatum nostrum accipiat,
ut merito perveniamus ad iustitiam sempiternam.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (Br Goth 1254)

(Cfr. II Par 6,16; Ps 109,4)

Non deficit princeps de populo Iuda,
neque dux de femoribus eius,
quoadusque veniet Sanctus sanctorum,
et ipse erit expectatio gentium.

V/ Iuravit Dominus, et non paenitebit eum:
tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

R/ Et ipse erit expectatio gentium.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et ipse erit expectatio gentium.

Oratio (Br Goth 1254-1255)

Deus,
qui Iacob patriarchae nostro prophetae atque famulo tuo
pietatis sacramentum revelas;
dum per eundem nobis annuntias dicens:
Non deficit princeps de Iuda, neque dux de femoribus eius,
usque ad Unigenitum
Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum:
aperi nobis mysteria pietatis tuae,
quo quicquid in nobis obscurum observabat antiquitas,
verborum tuorum aperiat veritas:
qualiter ut, luce sua Jesus Christus Filius tuus,
qui est expectatio nostra, nos accendens,
ab omni mereamur expiari criminis labe.

R/ Amen.

Per gratiam pietatis tuae, Deus meus,
 qui vivis et cuncta dominaris in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Alleluiaiticum (Br Goth 1255)

(Cfr. Ps 98,7)

Corpora sanctorum flamma non contristavit,
 alleluia, alleluia, alleluia;
 et dum ambularent per eam non comburebantur.
V/ Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos;
 in columna nubis loquebatur ad eos.
R/ Et dum ambularent per eam non comburebantur.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Et dum ambularent per eam non comburebantur.

Oratio (Br Goth 1255)

Unigenite Dei Filius,
 qui corpora sanctorum tuorum
 tamquam aurum fornacis igne examinas;
 cordium nostrorum, quaesumus, vires inspicias,
 et iuxta posse nostrum, si placet tibi,
 ita nos igni tribulationum tentari permittas,
 ut de bono patientiae
 hereditatem mereamur in caelestibus obtinere.

R/ Amen.
 Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Responsorium (Br Goth 1255)

(Cfr. Dt 33,2)

Iste qui advenit, nemo scit nomen eius, nisi ipse solus:
 vocabitur verbo Dominus;
 et habet vestem praeclaram,
 et omnis chorus sanctorum cum hymnis sequuntur eum.
V/ Dominus de Sina veniet, et de Seir ortus est nobis;
 apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia.
R/ Et omnis chorus sanctorum cum hymnis sequuntur eum.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Et omnis chorus sanctorum cum hymnis sequuntur eum.

Oratio (Br Goth 1254)

Domine Iesu Christe,
 qui solus nominis tui scientiam habes,
 et magnificae virtutis potentiam obtines,
 quem nemo cognovit nisi Pater, eiusque revelatio;
 per interventum martyrum tuorum
 revela nobis tanti mysterii maiestatem:
 et ita te unum cum Patre, et Spiritu Sancto credentes,
 inseparabilem cognoscamus,
 ut fidei merito semper propitium,
 mitemque in confessione inveniamus.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psalmus L

Antiphona (Br Goth 1000, 1005, 1022, 1169, 1246; AL 353, 417; L4, 229)
 (Cfr. Ps 50,14)

Da nobis laetitiam salutaris tui, spiritu principali confirma nos, Domine.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Da nobis laetitiam salutaris tui; spiritu principali confirma nos, Domine.

Oratio (Br Goth 1000,1169)

Redde nobis laetitiam salutaris tui, Domine;
 quam amisimus inique gerendo,
 et praetermisimus negligendo;
 tu nos ad eam revoca, et eam nobis restaura:
 ut peccato expulso, succedat iustitia;
 et maestitia repulsa, aeterna adsit laetitia;
 da, quae sumus, hanc iucunditatem,
 ut pervenire mereamur ad aeternam salutem.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Canticum VT (Br Goth 1005-1007)

(Dt 33, 2-29)

Antiphona (Br Goth 1005)

(Cfr. Sap 3,1; Dt 33,3)

Omnis sancti in manu Dei sunt; et qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina ipsius.

«Dominus de Sina venit * et de Seir ortus est eis;
apparuit de monte Pharan + et venit de Meribathcades * de meridie eius in Asedoth.

Vere diligit populos; * omnes sancti eius in manu illius sunt,
et, qui appropinquant pedibus tuis, * accipient de doctrina tua.

Legem praecepit nobis Moyses, * hereditatem multitudinis Iacob.

Et factus est apud dilectum rex, * congregatis principibus populi cum tribubus Israel».

«Vivat Ruben et non moriatur, * et sit parvus in numero».

Haec est Iudee benedictio: + «Audi, Domine, vocem Iudee, * et ad populum suum introduc eum.

Manus eius pugnabunt pro eo, * et adiutor illius contra adversarios eius eris».

De Levi quoque ait: + “Tummim et Urim tui viro sancto tuo, * quem probasti in Massa et cum quo litigasti ad aquas Meriba.

Qui dixit de patre suo et matre sua: * «Nescio vos»;
et fratres suos ignoravit * et filios suos nescivit.

Quia custodierunt eloquium tuum * et pactum tuum servaverunt.

Docebunt iudicia tua Iacob * et legem tuam Israel;
ponent thymiana in naribus tuis * et holocaustum super altare tuum.

Benedic, Domine, fortitudini eius * et opera manuum illius suscipe.

Percute lumbos inimicorum eius, * et, qui oderunt eum, non consurgant”.

De Beniamin ait: + “Amantissimus Domini * habitabit confidenter in eo;

Altissimus proteget eum tota die, * et inter humeros illius requiescat”.

De Ioseph quoque ait: + «Benedicta a Domino terra eius: * donis caeli, rore atque abyssu subiacente,

fructibus solis * et donis mensium,
 primitiis antiquorum montium + et donis collium aeternorum,
 * frugibus terrae et plenitudine eius.
 Benedictio illius, qui apparuit in rubo, + veniat super caput
 Iospeh * et super verticem nazarei inter fratres suos;
 quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, * cornua unicornis
 cornua illius,
 in ipsis ventilabit gentes * usque ad terminos terrae.
 Hae sunt multitudines Ephraim, * et hae milia Manase".
 De Zabulon ait: + «Laetare, Zabulon, in exitu tuo * et
 Issachar, in tabernaculis tuis!»
 Populos ad montem vocabunt, * ibi immolabunt victimas
 iustitiae.
 Qui inundationem maris, quasi lac, sugent, * et thesauros
 absconditos arenarum»
 De Gad ait: + "Benedictus, qui dilatat Gad! * Quasi leo
 requiescit dilaceratque brachium et verticem.
 Et vidit primitias sibi, * quia ibi pars ducis erat reposita;
 qui fuit cum principibus populi * et fecit iustitiam Domini et
 iudicia sua cum Israel".
 De Dan quoque ait: + "Dan catulus leonis * prosiliet largiter
 de Basan".
 De Nephtali dixit: * "Nephtali satiabitur beneplacito,
 et plenus erit benedictione Domini: * mare et meridiem
 possidebit".
 De Aser quoque dixit: * "Benedictus p[re]a filii Aser!
 Sit placens fratribus suis * et tingat in oleo pedem suum.
 Ferrum et aes sera[rum] tuae, * sicut dies tui robur tuum".
 "Non est ut Deus Iesurum, + qui ascendit super caelos ad
 auxilium tuum * et in magnificentia sua super nubes.
 Habitaculum Deus antiquus, et subter brachia sempiterna.
 Eiciet a facie tua inimicum * dicetque: "Conterere!".
 Habitabit Israel confidenter, et fons Iacob solus; * stillabunt
 in terra frumenti et vini, caeruleo rorem.
 Beatus tu, Israel! + Quis similis tui, popule, * qui salvaris in
 Domino?
 Ipse est scutum auxilii sui * et gladius gloriae tuae.
 Blandientur tibi inimici tui, * et tu eorum altitudines
 calcabis".
 Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, * in saecula
 saeculorum. Amen.
Ant. Omnes sancti in manu Dei sunt; et qui appropinquant pedibus
 eius, accipient de doctrina ipsius.

Oratio de cantico (Br Goth 1007)

Venisse te Dominum cum sanctorum millibus,
 et venturum prophetarum vaticiniis audientes,
 exposcimus:
 ut, qui te ad redemptionem mundi venisse iam credimus,
 venturum quoque ad iudicium,
 purgatis cordibus, praestolemur:
 ut quia in manu tua sanctorum multitudo consistit,
 in remedio pietatis tuae
 reditus a te peccantium cumuletur;
 qualiter appropinquantes pedibus tuis,
 satiemur semper doctrina intimae visionis.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Benedictiones

Antiphona (Br Goth 1007; Em 30, 70)

(Dn 3,87.86)

Sancti et humiles corde, spiritus et animae iustorum
 benedicite Dominum.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Sancti et humiles corde, spiritus et animae iustorum benedicite
 Dominum.

Oratio de benedictionibus

(Ut in ordinario in officio festivo)

Sonus (Br Goth 1007)

Via iustorum regia facta est, alleluia.

Iter sanctorum praeparatum est,
 alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Hic est civitas, et salvatio iustorum.

Pone murum,
 et iuxta murum congregaciones sanctorum, alleluia.
R/ Iter sanctorum praeparatum est,

allelua, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

*R/ Iter sanctorum praeparatum est,
alleluia, alleluia, alleluia.*

Psalmi laudate 148-150

Antiphona (Br Goth 992, 996, 998, 1002, 1007, 1010, 1028, 1032, 1062, 1072, 1105, 1114-1115, 1118, 1122-1123, 1127, 1132, 1137, 1142, 1147, 1151, 1157, 1204, 1217, 1264, 1283, 1298)
(Ps 148,1)

Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis, alleluia.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis, alleluia.

Lectio (Br Goth 1255)

(Zach 14,3-10)

Lectio libri Zachariae Prophetae.

R/ Deo gratias.

Egredietur Dominus et proeliabitur contra gentes illas, sicut proeliatus est in die certaminis. Et stabunt pedes eius in die illa super montem Olivarum, qui est contra Ierusalem ad orientem; et scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad orientem et ad occidentem, praerupto grandi valde, et separabitur medium montis ad aquilonem et medium eius ad meridiem. Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam vallis montium pertinget usque ad Iasol; et fugietis sicut fugistis a facie terraemotus in diebus Oziae regis Iudei, et veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo.

Erit: in die illa non erit lux, sed frigus et gelu; et erit dies una, quae nota est Domino, non dies neque nox; et in tempore vesperi erit lux. Et erit: in die illa exibunt aquae vivae de Ierusalem, medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare occidentale: in aestate et in hieme erunt. Et erit Dominus rex super omnem terram: in die illa erit Dominus unus, et erit nomen eius unum. Et revertetur omnis terra in desertum, a Gaba usque ad Remmon ad austrum Ierusalem, quae exaltabitur et habitabitur in loco suo, a porta Beniamin usque ad locum portae Prioris, et usque ad portam Angulorum, et a turre Hananeel usque ad Torcularia regis.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 1288-1289)

Vox ecce Vatum vivida personat
venire Christum, nascique nuntiat;
nunc festa cuius plebs pia celebrat;
quae ferens undam lucidam promicat.

Quem Gabrielis vox clara nuntiat;
quae virgo parit, quae sola rutilat,
fetosa Virgoque lactat,
nutrixque Virgo se cui dedicat.

Cuius dicata passio provocat,
ut quis fidelis sanguine rubeat,
et passionis munere polleat,
utroque sese perimi gaudeat.

Iusti et Abundi quem sequi cursitat
sacra voluntas; quem quoque nuntiat
sequi debere; qui in fide latitat
se forse fortē voceque iubilat.

Hos nunc sequentes, perimi iudicat
Numerianus, qui Olybrio hoc imperat
ut christianos ensi subiiciat,
Christique servos publicitus
opprimat.

Iustum en Olybrius, ut audii
furore raptus, nec neve quaeritat,
si christianus ipse sit explorat:
sed Christi servus illico clamitat:

Se esse fidelem; nec mori dubitat.
Praeses in ira conterritus provocat,
membra fidelis, nec neve clamitat;
ut hunc rotarum ars saeva proterat.

Sed mens ditata minime trepidat;
voceque clara cantica iubilat:
quem sibi Christus ita mirificat,
ut vota vincens, iam liber offerat.

Sed quidem ditata mens bene sublevat;
et meritorum gratia dedicat,
nec flamma vincit, nec poena superat;
sed igne trusus, illaesus ambulat.

Adhuc Abundus dum pie spectitat,
sese citatim Martyri sociat;
mentemque Christo subito delibat;
ipsique Olybrio vocibus irrogat.

Cuius cum fama praesidi personat;
infremit ira, terrere inchoat:
sanctus Abundus, ut idolis cedat;
illisque cedens thus liber offerat.

Sed quia sanctus vinci nequierat,
iustum sodalem facibus imperat
aduri, cuius ut vita pereat,
iamque cito discrimini cedat.

Mare sed is qui pedibus ambulat;
potensque clausos corpore
transvolat;
ignis poenas hos fugere provocat,
itemque tutos sistere factitat.

Hos ipse sanctis aethere sociat,
et ignis ille flammeus evolat,
et quos urendo flamma suscepereat,
extrita rore frigida consecrat.

Ut nec capillus capit is ardeat;
nec ipsa vestis ignibus haereat;
sed rore tincta, tutave maneat:
haec cuncta regens Spiritus actitat.

Exemplo quorum nunc pius audeat
quisque fidelis, munus et inferat
sui precatus, menteque serviat,
qui misertus omnia iudicat.

Ferox tyrannus vocibus intonat:
fornax ut atrox ignibus ardeat,
testis et almi membra suscipiat,
offerre thura Martyr ut ambulat.

Ipse precantum vota suscipiat;
et paradisi ianuam aperiat,
qui in aethere tonans nos pius
adiuvat,
cunctaque solus dimicare vult.

Aut igni ira concita pereat:
seque severae morti suscipiat,
flammaeque rogis citus inhaereat:
ne contrarie praesidi valeat.

Sit honor illi, qui solus intonat
de sede poli, cunctaque iudicat:
eique sese lingua subiiciat;
per omne saeculum carmina
concinat. Amen.

Versus (Br Goth 888)

(Sap 3,1)

V/ Iustorum animae in manu Dei sunt.

R/ Et non tanget illos tormentum mortis.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per intercessionem sanctorum Iusti et Abundi martyrum,
remissionem peccatorum, et pacem donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Compleuria (Br Goth 1289-1290)

Da nobis, Domine, gaudia felicitatis aeternae,
te ut semper gaudere possimus,
ne despicibili tristia obruamur,
et in nullo de temporalibus solliciti simus;
ut, qui te prope esse iam credimus,
mitissimum cum veneris sentiamus.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(Ut in ordinario in officio festivo)

Benedictio (Br Goth 1289)*Diac.* Humiliate vos benedictioni.*Presb.* Dominus sit semper vobiscum.*R/* Et cum spiritu tuo.

Obtentu martyrum suorum Iusti et Abundi,
 benedictio Domini vos comitetur in terris,
 qui illos provexit ad caelos.

R/ Amen.

Illorum vos efficiat suffragatione felices,
 quorum nunc estis solemnitatibus exequentes.

R/ Amen.

Ut sicut illi pro iustitia certati sunt usque ad mortem;
 ita et vos eorum sequendo vestigia,
 liberi properetis ad caelestia regna.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

*R/ Amen.**Psallendum* (Br Goth 1254)

(Cfr. Sap 3,9; cfr. Ps 33, 18; cfr. Ps 106, 6)

Fideles in dilectione sustinebunt Deum,
 quia regnum, et pax est electis eius, alleluia, alleluia.

V/ Clamaverunt et Dominus exaudivit eos,
 et de omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

R/ Quia regnum, et pax est electis eius, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

*R/ Quia regnum, et pax est electis eius, alleluia, alleluia.**Oratio* (Br Goth 1254)

Domine, Iesu Christe, qui solus nominis tui scientiam habes,
 et magnificae virtutis potentiam obtines:
 quem nemo cognovit nisi Pater, eiusque revelatio;
 per interventum martyrum tuorum Iusti et Abundi,
 revela nobis tanti mysterii maiestatem:
 et ita te, unum cum Patre et Spiritu Sancto credentes,
 inseparabilem cognoscamus,

ut fidei merito semper propitium, mitemque in confessione
inveniamus.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ad vesperum

Oblatio luminis

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Vespertinum (Br Goth 998)

(Ps 111,4; cfr. Ps 1,6)

Exortum est in tenebris lumen rectis corde;
misericors et miserator, et iustus Dominus.

V/ Directam fecit viam iustorum,
et praeparavit iter sanctorum.

R/ Misericors et miserator, et iustus Dominus.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Misericors et miserator, et iustus Dominus.

Sonus (Br Goth 1004)

(Ps 32, 1-2)

Gaudete iusti in Domino;
rectos decet collaudatio, alleluia.

V/ Confitemini Domino in cithara;
in psalterio decem cordarum psallite Deo,
alleluia, alleluia.

R/ Rectos decet collaudatio, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Rectos decet collaudatio, alleluia.

Antiphona (Br Goth 1252)

(Zach 2,14; Ps 46,2)

Gaudium magnum erit omnibus hominibus,
dicit Dominus.

Quia ecce ego venio;
ut clarificer in medio sanctorum meorum.

V/ Omnes gentes plaudite manibus,
iubilate Deo in voce exultationis.

R/ Quia ecce ego venio;
ut clarificer in medio sanctorum meorum.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Quia ecce ego venio;
ut clarificer in medio sanctorum meorum.

Alleluiaiticum (Br Goth 1252)

(Zach 14,5-6; Ps 45,9)

Veniet Dominus Deus, et omnes sancti cum eo, alleluia.

Et erit in die illa quae nota est Domino, alleluia, alleluia.

V/ Venite et videte opera Domini,
quae posuit prodigia super terram.

R/ Et erit in die illa quae nota est Domino, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et erit in die illa quae nota est Domino, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 1288-1289)

Vox ecce Vatum vivida personat
venire Christum, nascique nuntiat;
nunc festa cuius plebs pia celebrat;
quae ferens undam lucidam
promicat.

Quem Gabrielis vox clara nuntiat;
quae virgo parit, quae sola rutilat,
fetosa Virgoque lactat,
nutrixque Virgo se cui dedicat.

Cuius dicata passio provocat,
ut quis fidelis sanguine rubeat,
et passionis munere polleat,
utroque sese perimi gaudeat.

Sed quidem ditata mens bene sublevat;
et meritorum gratia dedicat,
nec flamma vincit, nec poena
superat;
sed igne trusus, illaesus ambulat.

Adhuc Abundus dum pie spectitat,
sese citatim Martyri sociat;
mentemque Christo subito delibat;
ipsique Olybrio vocibus irrogat.

Cuius cum fama praesidi personat;
infremitt ira, terrere inchoat:
sanctus Abundus, ut idolis cedat;
illisque cedens thus liber offerat.

Iusti et Abundi quem sequi cursitat
 sacra voluntas; quem quoque
 nuntiat
 sequi debere; qui in fide latitat
 se forse fortē voceque iubilat.

Hos nunc sequentes, perimi iudicat
 Numerianus, qui Olybrio hoc
 imperat
 ut christianos ensi subiiciat,
 Christique servos publicitus
 opprimat.

Iustum en Olybrius, ut audii
 furore raptus, nec neve quaeritat,
 si christianus ipse sit explorat:
 sed Christi servus illico clamitat:

Se esse fidelem; nec mori dubitat.
 Praeses in ira conterritus provocat,
 membra fidelis, nec neve clamitat;
 ut hunc rotarum ars saeva proterat.

Sed mens ditata minime trepidat;
 voceque clara cantica iubilat:
 quem sibi Christus ita mirificat,
 ut vota vincens, iam liber offerat.

Ferox tyrannus vocibus intonat:
 fornax ut atrox ignibus ardeat,
 testis et almi membra suscipiat,
 offerre thura Martyr ut ambulat.

Aut igni ira concita pereat:
 seque severae morti suscipiat,
 flammaeque rogis citus inhaereat:
 ne contrarie praesidi valeat.

Sed quia sanctus vinci nequiverat,
 iustum sodalem facibus imperat
 aduri, cuius ut vita pereat,
 iamque cito discrimini cedat.

Mare sed is qui pedibus ambulat;
 potensque clausos corpore
 transvolat;
 ignis poenas hos fugere provocat,
 itemque tutos sistere factitat.

Hos ipse sanctis aethere sociat,
 et ignis ille flammeus evolat,
 et quos urendo flamma suscepit,
 exrita rore frigida consecrat.

Ut nec capillus capitis ardeat;
 nec ipsa vestis ignibus haereat;
 sed rore tincta, tutave maneat:
 haec cuncta regens Spiritus actitat.

Exemplo quorum nunc pius audeat
 quisque fidelis, munus et inferat
 sui precatus, menteque serviat,
 qui misertus omnia iudicat.

Ipse precantum vota suscipiat;
 et paradisi ianuam aperiat,
 qui in aethere tonans nos pius
 adiuvat,
 cunctaque solus dimicare vult.

Sit honor illi, qui solus intonat
 de sede poli, cunctaque iudicat:
 eique sese lingua subiiciat;
 per omne saeculum carmina
 concinat. Amen.

Versus (Br Goth 888)

V/ Iustorum animae in manu Dei sunt.
R/ Et non tanget illos tormentum mortis.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.
 Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
 cum omni supplicatione rogemus;
 ut per intercessionem sanctorum Iusti et Abundi martyrum,
 remissionem peccatorum, et pacem donare dignetur.
R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.
 Kyrie eleison
R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (Br Goth 1289)

Deus lumen aeternum,
 lucerna inextinguibilis, et lux veritatis,
 laetifica populum tuum in hac celebritate
 beatissimorum martyrum tuorum Iusti et Abundi;
 ut, qui suis meritis contristantur,
 eorum orationibus consolentur.
R/ Amen.
 Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (Br Goth 1289)

Diac. Humiliate vos benedictioni.
Presb. Dominus sit semper vobiscum.
R/ Et cum spiritu tuo.

Obtentu martyrum suorum Iusti et Abundi,
 benedictio Domini vos comitetur in terris,
 qui illos provexit ad caelos.

R/ Amen.

Illorum vos efficiat suffragatione felices,
quorum nunc estis solemnitatibus exequentes.

R/ Amen.

Ut sicut illi pro iustitia certati sunt usque ad mortem;
ita et vos eorum sequendo vestigia,
liberi properetis ad caelestia regna.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 1254)

(Cfr. Sap 3,9; cfr. Ps 33, 18; cfr. Ps 106, 6)

Fideles in dilectione sustinebunt Deum,
quia regnum, et pax est electis eius, alleluia, alleluia.

V/ Clamaverunt et Dominus exaudivit eos,
et de omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

R/ Quia regnum, et pax est electis eius, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Quia regnum, et pax est electis eius, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1254)

Domine, Iesu Christe, qui solus nominis tui scientiam habes,
et magnificae virtutis potentiam obtines:
quem nemo cognovit nisi Pater, eiusque revelatio;
per interventum martyrum tuorum Iusti et Abundi,
revela nobis tanti mysterii maiestatem:
et ita te, unum cum Patre et Spiritu Sancto credentes,
inseparabilem cognoscamus,
ut fidei merito semper propitium, mitemque in confessione
inveniamus.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Die 17 decembris
In diem sanctorum Alexandri et comitum eius, martyrum

Omnia dicantur ut in communi plurimorum Martyrum

Die 18 decembris
OFFICIUM IN DIEM SANCTAE MARIAE
Sollemnitas

Ad vesperum

Oblatio luminis
(Ut in ordinario in officio festivo)

Vespertinum (AL 67; L4,6, 70; Br Goth 1290)
 (Cfr. Ier 31,4; Ps 149,3; Ps 36,6; Ct 6,9; Ps 44,10; Idt 13,23; 15,10; Ps 44,14,11; Ct 2,10)

Virgo Israel, ornare tympanis tuis,
 et egredere in choro psallentium.

V/ Beata es regina quae prospicis quasi lumen.

R/ Egredere in choro psallentium.

V/ Egredere quasi aurora valde rutilans.

R/ In choro psallentium.

V/ Assistit regina in vestitu deaurato.

R/ In choro psallentium.

V/ Benedicta es tu filia a Domino Deo tuo.

R/ In choro psallentium.

V/ Benedicta tu prae omnibus mulieribus super terram.

R/ In choro psallentium.

V/ Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel.

R/ Egredere in choro psallentium.

V/ Esto filia fortissimi omnis gloria filiae regis.

R/ Egredere in choro psallentium.

V/ Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam.

R/ Egredere in choro psallentium.

V/ Propera et veni, in salute populorum.

R/ Egredere in choro psallentium.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ Egredere in choro psallentium.

Oratio (Br Goth 1290)

Virgo Israel,
 quae utique mater Videntis intellegeris,
 ornare tympanis tuis, id est, membris Ecclesiae,
 ut te habeamus patronam in saeculo,
 quam beatam reginam credimus permanere in futuro:
 ut prospicientes te, lumen credulitatis nostrae sine dubio esse;
 te interpellante,
 favorem beatitudinis mereamur firmissime obtinere.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Sonus (AL 67-68; L4,7; Em 30, 619)

(Ps 44,3.2.10.11-12.17-18)

Diffusa est gratia in labiis tuis, alleluia;
 propterea benedixit te Deus in aeternum,
 alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Eructavit cor meum verbum bonum,
dico ego opera mea regi, alleluia.

R/ Benedixit te Deus in aeternum,
alleluia, alleluia, alleluia.

V/ A dextris tuis, Deus,
assistit regina in vestitu deaurato circumamicta varietate.
Audi filia et vide, et inclina aurem tuam,
et obliviscere populum tuum et domum patris tui,
quia concupivit rex speciem tuam, alleluia.

R/ Benedixit te Deus in aeternum,
alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Nati sunt tibi filii,
constitues eos principes super omnem terram,
memores erunt nominis tui, Domine,
in progenie et generatione.

R/ Benedixit te Deus in aeternum,
alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Benedixit te Deus in aeternum,
alleluia, alleluia, alleluia.

Antiphona (AL 68; L4,8)

(Cfr. Lc 1,28; Ps 84,9)

Ave Maria, gratia plena,
 Dominus tecum, beata tu inter mulieres,
 et benedictus fructus ventris tui.
V/ Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.
R/ Beata tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Beata tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

Antiphona (AL 68; L4,9)

(Lc 1,35; Ps 84,12)

Spiritus Sanctus superveniet in te,
 et virtus Altissimi obumbravit tibi,
 propterea quod nascetur ex te,
 sanctum vocabitur Filius Dei.
V/ Veritas de terra orta est,
et iustitia de caelo prospexit.
R/ Propterea quod nascetur ex te,
sanctum vocabitur Filius Dei.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Propterea quod nascetur ex te,
sanctum vocabitur Filius Dei.

Alleluiaiticum (AL 68; L4,10)

(Lc 1,47-48; Ps 145,1)

Exultabit spiritus meus in Deo salutari meo,
 quia respexit humilitatem ancillae sua,
 ecce beatam me dicent omnes gentes, alleluia, alleluia.
V/ Lauda anima mea Dominum, laudabo Deum in vita mea.
R/ Ecce beatam me dicent omnes gentes, alleluia, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Ecce beatam me dicent omnes gentes, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 1291; AL 68; L4,11; Em 30, 678)

<p>A solis ortus cardine adusque terrae limitem, Christum canamus principem natum Maria virgine.</p> <p>Beatus auctor saeculi, servile corpus induit: ut carne carnem liberans, ne perderet quos condidit.</p> <p>Clausa Parentis viscera caelestis intrat gratia: venter puellae baiulat secreta quae non noverat.</p> <p>Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei intacta nesciens virum, verbo creavit Filium.</p>	<p>Enixa est puerpera: quem Gabriel praedixerat; quam matrem alvo gestiens, clausus Iannes senserat.</p> <p>Fit porta Christi pervia, referta plena gratia; transitque Rex et permanet, clausa, ut fuit per saecula.</p> <p>Genus superni numinis processit aula Virginis, Sponsus, Redemptor, Conditor, suae gigas Ecclesiae.</p> <p>Honor Matris et gaudium, immensa spes credentium, per atra mortis pocula mundi resolvit crimina.</p> <p>Deo Patri sit gloria, eiusque soli Filio cum Spiritu Paraclito, regnans per omne saeculum. Amen.</p>
---	--

Versus (AL 68; L4,41)

(Ps 45,6)

V/ Deus in medio eius non commovebitur.

R/ Adiuvabit eam Deus mane diluculo.

Supplicatio (Br Goth 1291)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per interventum et meritum
gloriosae sanctae Mariae Virginis et Genitricis suae,
nobis remissionem peccatorum
et pacem propitiis donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison.

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (OV 202; Br Goth 1291)

Virgo, Christi genetrix et humani generis reparatrix,
 implorantium preces auribus offer divinis;
 ut tuo gaudeamus intercessu,
 peccaminum apud Dominum obtinere remissionem,
 cuius sexus absque pudoris corruptione,
 omnium genuit Salvatorem.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 203; Br Goth 1291-1292)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Dominus Iesus Christus,
 qui olim ex Virgine dignatus es nasci,
 suae vos Genitricis intercessu sanctificet.

R/ Amen.

Quique matrem servavit a corruptelae contagio,
 sinum cordis vestri emaculet a delicto.

R/ Amen.

Et qui eam fecit virginem manere post partum,
 caelum vobis tribuat possidere post transitum.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (AL 68; Br Goth 1292)

(Mich 5,3.5; Ps 48,2)

Ecce tempus, dicit Dominus,
 in quo parturiens generabit, alleluia.

*Et erit iste pax in aeternum,
alleluia, alleluia, alleluia.*

*V/ Audite haec omnes gentes,
auribus percipite qui habitatis orbem.*

*R/ Et erit iste pax in aeternum,
alleluia, alleluia, alleluia.*

*V/Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Et erit iste pax in aeternum,
alleluia, alleluia, alleluia.*

Oratio (Br Goth 1292)

Gratiam plenam habere te credimus,
o Virgo Christi genetrix
et humani generis reparatrix, gloriosa Maria,
quae tanta nobis gaudia pariendo contulisti,
ut fructus ventris tui, qui est Christus Filius Dei,
a dominio in nos saevientis eriperet inimici,
et in regno aeterno consortes faceret sibimetipsi.
Proinde quaesumus, te rogamus, ut adsis patrona nobis,
ut et merito tuo nos Filius tuus a delicto exules reddat,
et post in regno suo perenniter habitaturos introducat:
praesta nobis,
ut, qui te concupiscens sibi advocavit in matrem,
nobis concupiscentiae suae opulentam largiatur dulcedinem.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (AL 68, 242; Em 30, 7, 622; T35.5, 490; Br Goth 566)
 (Cfr. Ps 3,9)

Super populum tuum, Deus, salus tua et benedictio.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Super populum tuum, Deus, salus tua et benedictio.

Collecta de psalmo III (OV 204; Em 30, 623)

Voce nostra ad te clamamus, Iesu Redemptor et Domine,
 qui susceptor factus es noster, assumendo carnem ex Virgine,
 quam tibi dignam ante saecula praescieras genetricem:
 descendat igitur, quae sumus, super populum tuum
 ita benedictionis tuae profusio manifesta,
 sicut mater tua Maria
 ab angelo inter mulieres praedicata es benedicta;
 ut, sicut illa exultavit concipiens Verbum,
 ita nos laetemur viciisse per te millia adversantium;
 qualiter qui matris tuae et virginis
 gloriosum partum concinimus,
 a te, qui es nostrum caput et gloria, copiosius exaltemur.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Missa I

Antiphona (AL 68-69; Em 30, 624)

(Is 7,14; Ps 48,2)

Audite domus David, Dominus dabit vobis signum:
 ecce virgo concipiet et pariet filium,
 et vocabitis nomen eius Emmanuel.

V/ Audite haec omnes gentes,
 auribus percipite qui habitatis orbem.

R/ Ecce virgo concipiet et pariet filium,
 et vocabitis nomen eius Emmanuel.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Ecce virgo concipiet et pariet filium,
et vocabitis nomen eius Emmanuel.

Oratio (OV 205; Em 30, 625)

Deus, qui domui David profetali vaticinio
praedixisti novum fieri signum,
atque miraculum inauditum,
quod virgo Verbum conciperet,
quod insolito virginitas parturiret;
praebe auditui nostro gaudium et laetitiam,
ut exultent in nobis ossa humiliata;
quo quidquid de te vera fide
praedicatorum annuntiatione cognovimus et tenemus,
in emolumento nobis prodesse futuri iudicii gratulemur.
R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 69; Em 30, 626)

(Cfr. Is 7,14; 8,11, Mt 1,23; Ps 46,2)

Dabit vobis Dominus signum in terra:
virgo in utero accipiet et pariet filium,
et vocabitis nomen eius Emmanuel,
scitote gentes quoniam nobiscum est Deus.

V/ Omnes gentes plaudite manibus,
iubilate Deo in voce exultationis.

R/ Scitote gentes quoniam nobiscum est Deus.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Scitote gentes quoniam nobiscum est Deus.

Oratio (OV 206; Em 30, 627)

Emmanuel, nobiscum Deus, Christe Dei Filius,
qui admirabile signum David domui donas,
cum ex virginе te nasciturum pronuntias,
qui Mariam matrem creasti ut Dominus,
de qua postea natus es filius:
da nobis, ut qui cum illa a te,
vel per te creati sumus ex nihilo,

simili ut ea credulitatis remuneremur ex praemio.

R/ Amen.

Ipsò praestante, qui vivit cum Deo Patre et Spiritu Sancto
in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 69; Em 30, 628)

(Ier 31,22; Ps 112,2)

Alleluia, creabit Dominus novum super terram, alleluia.

Femina circumdabit virum, alleluia, alleluia.

V/ Sit nomen Domini benedictum,
ex hoc nunc et usque in saeculum.

R/ Femina circumdabit virum, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Femina circumdabit virum, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 207; Em 30, 629; Br Goth 1297)

Decantet tibi, Domine, omnis creatura canticum novum,
qui in virgine Maria
ostendisti novae parturitionis miraculum,
ut femina circumdaret virum,
ut virgo sine virili coitu virilem pareret sexum;
presta igitur nobis eius sufragio tueri in saeculo,
quae te partu edidit incorrupto;
ut mens nostra fulgore Sancti Spiritus vegetata,
ita amorem dilectionis tuae concipiat,
ut bonorum semper actuum parturiat incrementa.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 69; Em 30, 630; Br Goth 1293)

(Cfr. Lc 1, 27-28.35)

Missus est a Deo angelus Gabriel
ad Mariam virginem dicens:

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum,
benedicta tu inter mulieres.

Propterea quod nascetur ex te,
sanctum vocabitur Filius Dei.

V/ Spiritus Sanctus super veniet in te,
et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

*R/ Propterea quod nascetur ex te,
sanctum vocabitur Filius Dei.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Propterea quod nascetur ex te,
sanctum vocabitur Filius Dei.*

Oratio (OV 208; Em 30, 631)

Salvator omnium Iesu Christe,
qui novae operationis efficacia
virginem per angelum visitas,
verbo fecundas, habituram sine corruptionis iniuria prolem,
et permansuram cum integritate virginea matrem:
per huius actionis inenarrabile sacramentum
te quaesumus piissimum Dominum;
ut infundas in nos benedictionis omnimodae donum,
qui operaris in virgine insigne generationis tuae miraculum,
et tanto nobis copiam gratiae caelestis impendas,
quanto genetricem tuam gloria conceptionis exornas.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Missa II

Antiphona (AL 69; Em 30, 632; Br Goth 1297)
(Lc 1,26.29-31; Ps 18,3)

Missus est Gabriel angelus ad Mariam virginem,
desponsatam a Ioseph,
annuntians verbum, et expavescit virgo de numine.
Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum,
ecce concipies et paries, et vocabitur Altissimi Filius.

V/ Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.

*R/ Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum,
ecce concipies et paries, et vocabitur Altissimi Filius.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum,
ecce concipies et paries, et vocabitur Altissimi Filius.*

Oratio (OV 209; Em 30, 633; Br Goth 1297)

Sancta Dei Genetrix, quae salutata ab angelo,
 aure concepis verbum,
 fide maturas obsequium,
 carne generas filium,
 de numine expavescens,
 de gratia praeveniente confidens;
 supplicum vota efficax accipe plebium,
 et preces opulenter remunera singulorum;
 ut materno cunctos gremio solaturos accipiens
 quos in hac peregrinatione ad te concurrentes respicis cernuos,
 Iesu Christo Filio tuo, Domino nostro representes illaesos.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 69; Em 30, 634)

(Mt 1,20; Ps 45,6)

Angelus Domini apparuit Ioseph dicens:
 noli timere accipere Mariam,
 quod in ea natum est de Spiritu Sancto est.
V/ Deus in medio eius non commovebitur,
 adiuvabit eam Deus mane diluculo.

R/ Noli timere accipere Mariam,
 quod in ea natum est de Spiritu Sancto est.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ Noli timere accipere Mariam,
 quod in ea natum est de Spiritu Sancto est.

Oratio (OV 210; Em 30, 635; Br Goth 1296)

Ineffabile genitum Patris ingeniti Verbum,
 quo nascente pudor matris virginis claruit,
 et claritas novae generationis illuxit;
 te enim faciente, facta sunt cuncta,
 quae in incarnationis tuae mysterio credimus operata;
 scilicet quod angelus Ioseph viro Genetricis tuae apparuit,
 quod te in ea natum de Spiritu Sancto esse praedixit:
 praesta proinde nobis, quaesumus,
 meritis sanctae matris tuae et virginis,
 ut, conceptione Sancti Spiritus fecundati,

sic te concipiamus in corde,
ut non aliud quam te semper parturiamus in opere.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaticum (AL 69; Em 30, 636)

(Cfr. Lc 1,48-49; Ps 134,4)

Respexit Dominus humilitatem ancillae suae, alleluia;
fecit mihi magna qui potens est,
et sanctum nomen eius, alleluia.

*V/ Quoniam Iacob elegit sibi Dominus,
Israel in possessionem sibi.*

*R/ Fecit mihi magna qui potens est,
et sanctum nomen eius, alleluia.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Fecit mihi magna qui potens est,
et sanctum nomen eius, alleluia.*

Oratio (OV 211; Em 30, 637)

Magnificat ecce te, Domine, Redemptorem nostrum
beatae genetricis voce omnis conventus ecclesiae,
quia respexisti humilitatem ancillae tuae,
cum te, et virgo sancta concepit,
et ecclesia credendo cognovit;
cum de illa prodires, ut istam redimeres,
cum illam beatam dicant omnes gentes,
in istam beatificantur populorum omnium nationes:
suscipte ergo, Domine, Israel populum tuum,
memor misericordiae tuae,
quae locutus es patribus nostris;
ut complementum sit divinae promissionis,
totius mundi redemptio singularis.

R/ Amen.

Auxiliante sua misericordia, qui vivit cum Deo Patre,
et regnat cum Spiritu Sancto, unus Deus,
in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 70; Em 30, 638)

(Cfr. Lc 1,28.35.28)

Angelus Domini venit ad Mariam dicens ei, alleluia;
 Spiritus Sanctus superveniet in te, alleluia,
 et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Propterea quod nascetur ex te,
 sanctum vocabitur Filius Dei, alleluia.

V/ Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum,
 benedicta tu inter mulieres.

R/ Propterea quod nascetur ex te,
 sanctum vocabitur Filius Dei, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ Propterea quod nascetur ex te,
 sanctum vocabitur Filius Dei, alleluia.

Oratio (OV 212; Em 30, 639; Br Goth 1296)

Iesu, Dei Filius, qui beatissimam Mariam,
 sic virginem approbas,
 ut matrem ostendas;
 sic matrem honoras,
 ut virginem admirabili conceptu efficias,
 dum tua deitas ad eam angelum destinat,
 a quo se inter mulieres audiat benedictam;
 concede supplici familiae tuae,
 ut ad instar eius cor nostrum castitate fructificet,
 et iussis tuis obsequi non recusset;
 quo cum ea mereamur ultimo iudicii tempore
 a dextris tuis assistere,
 quam nunc credimus virginem te veraciter generasse.

R/ Amen.

Ipsa praestante, qui cum Deo Patre
 vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti,
 in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Missa III

Antiphona (AL 70; Em 30, 640)

(Ez 44,2; Ps 23,7)

Vidi porta in domo Domini clausa,
et dixit ad me angelus:
porta ista quam vides non aperietur
neque aliquis per eam transibit,
quoniam Dominus Deus Israel egredietur per eam,
et erit clausa.

V/ Tollite portas principes vestras,
et elevamini portae aeternales,
et introibit rex gloriae.

R/ Quoniam Dominus Deus Israel egredietur per eam,
et erit clausa.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Quoniam Dominus Deus Israel egredietur per eam,
et erit clausa.

Oratio (OV 213; Em 30, 641)

Verbum, virtus et sapientia Patris,
qui materni uteri portam nec ingrediens violas,
nec egrediens dissipas;
cum nec conceptus corrumperet virginem,
nec parturitio matrem virginitate privaverit:
presta nobis, ut obtentu suo,
quae te genuit Filium, nobis praeroget quod rogatur;
et, quae te meruit sine coitu parere,
nos conceptu tuo faciat parturire;
ut, in portis Sion dilatantes os nostrum,
salutis concipiamus spiritum,
et sic novae nationis tuae praedicemus miraculum,
ut cor nostrum fides semper possideat incorruptum.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 70; Em 30, 642; Br Goth 1295)

(Cfr. Ier 31,21; Ps 86,3)

Virgo Israel, revertere ad civitates tuas,
usquequo dolens averteris,
generabis Dominum salvatorem, oblationem novam;
in terra ambulabunt homines in salvatione.

V/ Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.

R/ In terra ambulabunt homines in salvatione.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ In terra ambulabunt homines in salvatione.

Oratio (OV 214; Em 30, 643; Br Goth 1295)

Iesu Domine, qui nasciturus ex virgine
et caput serpentis antiqui,
et totius delicti contagia proculcasti,
dum te, oblationem novam,
virgo mater parturiret in terris,
quam exulare cupiebat serpens e sedibus suis:
largire nobis, ita serpentis huius instinctum,
omiumque peccaminum odire contactum,
ut te solum anima nostra diligat,
quem et in muneris retributione percipiat,
et in aeternitatis delectatione possideat.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 70; Em 30, 644)

(Ps 84,11; Ps 134,1)

Misericordia et veritas occurrerunt sibi, alleluia;
iustitia et pax osculate sunt se,
alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum.

*R/ Iustitia et pax osculatae sunt se,
alleluia, alleluia, alleluia.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Iustitia et pax osculatae sunt se,
alleluia, alleluia, alleluia*

Oratio (OV 215; Em 30, 645)

Cognoscentibus nobis miseriam nostram,
 ostende, Domine, misericordiam tuam;
 nihil in carne nostra praevaleat turpis concupiscentia,
 quorum in terra tuae divinitatis inhabitat gloria;
 in Christo enim tuo,
 misericordia et veritas sibimet occurrerunt,
 in quo etiam iustitia et pax se complexae sunt,
 cum in utero virginis suae incarnationis mysterium operatur,
 qui nos iustificat impios, et reconciliat inimicos:
 concede,
 ut ipsum habeamus misericordissimum Dominum protectorem,
 quem terribilem praestolamur et iudicem.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 70; Em 30, 646; Br Goth 1294)

(Cfr. Mich 4,10; 5,2; Is 7,14)

Filia Sion, consecrabis Domino multitudines populorum;
 et tu Bethlehem, domus acceptioonis,
 paucissima in millibus Iuda,
 ex te prodiet principium regni Israel,
 cuius progressio ab initio saeculi,
 propter quod tempus parturientis advenit,
 et paries velociter redemptorem omnium filiorum Israel.
V/ Dabit vobis Dominus signum in terra,
virgo in utero accipiet.

R/ Et paries velociter redemptorem omnium filiorum Israel.

V/Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et paries velociter redemptorem omnium filiorum Israel.

Oratio (OV 216; Em 30, 647; Br Goth 1294)

Iesu virtutum omnium Deus,
 qui per beatae Genetricis tuae mysterium
 consecras tibi multitudines populorum,
 dum novo miraculo virginem conceptione mirabili ditas,
 et matrem virginitatis honore non privas,
 ut incarnationis tuae mysterium,
 et singulare citra similitudinis exemplar maneret,

et admirabile sine aliqua dissertatione rationis existeret:
 dona nobis, huius arcana mysterii et plena fide cognoscere,
 et pleniori caritatis ardore diligere;
 ut per hoc, quod de te, quae vera sunt, credimus,
 ad hoc, quod de te diligentibus tribuis, ardentius veniamus.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Missa IV

Antiphona (AL 70; Em 30, 648; Br Goth 1295)
 (Cfr. Mich 5,2; Ps 131,6)

Bethlehem domus Ephrata,
 non es minima in principibus Iuda,
 ex te egredietur rex qui regat populum meum Israel,
 et egressio eius a diebus aeternitatis.

V/ Ecce audivimus eam in Ephrata,
invenimus eam in campis silvae.

R/ Et egressio eius a diebus aeternitatis.

V/Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et egressio eius a diebus aeternitatis.

Oratio (OV 217; Em 30, 649)

Te caelestem principem, Iesu Domine, adoramus,
 quem in civitate Bethlehem,
 vaticinio profetali nasciturum esse cognovimus;
 etenim ita eam,
 incarnationis tuae mysterio prominere praenuntias,
 ut minimam in principibus Iuda non facias,
 dum ex ea proditurus ostenderis,
 et in ea natus apertissime declararis,
 cum ad nos per virginem veniens,
 virginitatis portam, nec adiens reserasti, nec prodiens.
 Proinde totis te visceribus deprecamur, Omnipotens;
 ut qui Genetrici tuae praestitisti, ut esset mater et virgo,
 eius orationibus ecclesia tua,
 catholica fide sit incorrupta, et caritate fecunda;
 ut, et in te credentes, copiosa parturiat,

et a culparum labe purgata,
ad te sine macula et ruga perveniat.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 71; Em 30, 650; Br Goth 1295)

(Mich 4,8; Ps 121,6)

Tu turris gregis nebulosa filia Sion, ad te veniet Salvator,
et veniet potestas prima regnum filiae Ierusalem.

*V/ Rogate quae ad pacem sunt Ierusalem,
et abundantia diligentibus te.*

R/ Et veniet potestas prima regnum filiae Ierusalem.

*V/Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Et veniet potestas prima regnum filiae Ierusalem.

Oratio (OV 218; Em 30, 651; Br Goth 1295)

Iesu Domine, qui nativitate divina praecedis omnia,
et in fine saeculorum nasceris ut redimas universa,
dans in omnipotentia initium rebus,
et in humilitate iustificationem reddens hominibus,
cum nebulosae turris hospitium ingrederis,
et ad eam potestas prima regnaturus accedis:
tribue nobis, illo te Spiritu confiteri,
quo per uterum virginis humanae voluisti mortalitati coniungi;
ut ita te, cum Patre et Spiritu Sancto solum Deum veneremur,
et unum sicut te,
sancta Genetrix et Dominum generavit et Filium.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 71; Em 30, 652; Br Goth 1295)

(Mich 5,2; Ps 147,1)

Tu Bethlehem domus Ephrata, alleluia,
non eris minima in principes Iuda;
orietur enim ex te qui regat populum Israel, alleluia, alleluia.

V/ Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.

*R/ Orietur enim ex te qui regat populum Israel,
alleluia, alleluia.*

*V/Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Orietur enim ex te qui regat populum Israel,
alleluia, alleluia.*

Oratio (OV 219; Em 30, 653; Br Goth 1295)

Magna est, Domine,
Bethlehem civitas illa incarnationis tuae altrix,
prophetarum illustrata praeconiis,
dum ex ea proditus annuntiaris,
et in ea gloriosus ostenderis;
cum illic specie et pulchritudine
beatissimam matrem tuam ac virginem decorasti Mariam,
quae te merito incorrupta edidit, sicut incorrupta concepit:
adesto proinde miseris nobis, precibus eius assiduis;
ut sicut illam generatio tua provexit ad laudem,
ita nos eius merita provehant ad salutem.

R/ Amen.

Auxiliante sua misericordia,
qui vivit cum Deo Patre, et regnat cum Spiritu Sancto,
unus Deus, in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 71; Em 30, 654)

(Mich 5,2; Ps 95,12)

Bethlehem civitas Dei summi,
ex te prodiet dominator Israel,
et egressus eius sicut a principio dierum aeternitatis,
et pax erit in terram nostram quia veniet.

*V/ Gaudebunt campi et omnia quae in eis sunt,
tunc exultabunt omnia ligna silvarum.*

R/ Quia veniet.

*V/Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Quia veniet.

Oratio (OV 220; L4, 12; Em 30, 655)

Christe, Filius Dei Patris.

qui Bethlehem civitatem Dei summi,

incarnationis tuae gloria consecras,
 dum te ex ea,
 verum dominatorem Israel nasciturum insinuas,
 et inauditum a saeculis in ea,
 incarnationis tuae miraculum manifestas,
 dum intra eiusdem urbis bethlemiticae septa,
 genetricem Mariam, et materno honore sublimas,
 et virginitatis honore glorificas,
 cuius uterum nec ingrediens reseras,
 nec egrediens violas:
 quaesumus,
 ut penetralia nostrae animae sic tuo candore perlustres,
 quatenus suffragio sanctae Matris tuae,
 a serpentina persuassione servati,
 virginitatem mentis obtineamus illaes.

R/ Amen.
 Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
 qui in Trinitate, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Missa V

Antiphona (AL 71; L4, 13)

(Cfr. Ps 44,14-16.5)

Esto filia fortissimi omnis gloria filiae regis,
 intrinsecus virgines sequentur eam,
 ducentur in laetitia et exultatione,
 ingredientur thalamum regis.
V/ Specie tua et pulchritudine tua,
 et intende, prospere, procede et regna.
R/ Ducentur in laetitia et exultatione,
 ingredientur talamum regis.
V/Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Ducentur in laetitia et exultatione,
 ingredientur talamum regis.

Oratio (OV 221; L4, 14)

Domine Iesu Christe,
 qui sanctae Mariae arcana possidens,

sic virginum choris istipas,
 ut omnem gloriam, utpote filiae regis,
 in eius intimis manifeste aperias,
 dum et virginitatem in ea dedicas illibatam,
 et matrem illam ostendis in publico manifestatam:
 annue proinde nobis precibus eius;
 ut conscientiam nostram ita pudor possideat,
 ne cupiditatis turbo corrumpat;
 ut et tranquilli maneamus in saeculo,
 et inviolati perveniamus ad caelum.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 71; L4, 15)

(Ps 44,11-12.3)

Audi filia, et vide et inclina aurem tuam,
 quia concupivit rex speciem tuam.

V/ Diffusa est gratia in labiis tuis,
propterea benedixit te Deus in aeternum.

R/ Quia concupivit rex speciem tuam.

V/ Quia ipse est dominus tuus, et adorabunt eum.

R/ Quia concupivit rex speciem tuam.

V/Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Quia concupivit rex speciem tuam.

Oratio (OV 222; L4, 16)

Audi filia, et vide, quae meruisti effici filia Filii,
 ancilla Geniti, mater Domini,
 gestatrix Salvatoris altissimi;
 quia concupivit rex speciei tuae decorem,
 et complacuit ei in terram tuam
 habitaculum sibimet mundissimum praeparare:
 proinde praesta nobis,
 ut qui te concupiscens sibi advocavit in matrem,
 nobis concupiscentiae suae opulentam largiatur dulcedinem,
 atque ita tuis, sancta mater, obsequiis mancipemur,
 dum vivimus,
 ut ad eum, quem genuisti,

sine confusione post transitum veniamus.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 71; L4, 17)

(Ct 4,12-13; Ps 104,11; Ps 147,1)

Alleluia, hortus conclusus, soror mea,
sponsa mea, fons signatus;
emissiones tuae, alleluia,
paradisus cum pomorum fructibus, alleluia, alleluia.

V/ Tibi dabo terram Canaan, funiculum hereditatis vestrae.

R/ Paradisus cum pomorum fructibus, alleluia, alleluia.

V/ Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.

R/ Paradisus cum pomorum fructibus, alleluia, alleluia.

*V/Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Paradisus cum pomorum fructibus, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 223; L4, 18)

Deus,
qui fontem signatum Mariae virginis efficis uterum,
in qua ipse,
sic conclusum hortum matris ingressus regredieris,
ut virginitatem non violes geneticis:
quaesumus,
ut in paradisum bonae voluntatis tuae nos praeparans,
virtutum fructibus opulentos habitator solus ipse possideas;
ut emissiones nostrae sint laudes tuae,
et quidquid ob honorem geneticis tuae
mortalitatis ore depromimus,
immortalitatis praemio consequamur.

R/ Amen.

Per tuam magnam misericordiam, Deus noster,
qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 71; L4, 19; Em 30, 656)

(Zach 2,14b-15.14a)

Filia Sion, habitabo in medio tui, dicit Dominus;
et applicabuntur gentes multae ad Dominum in illa die,

et scies quia Dominus misit me ad te.

V/ Lauda et laetare filia Sion, quia ecce ego veniam.

*R/ Et applicabuntur gentes multae ad Dominum in illa die,
et scies quia Dominus misit me ad te.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Et applicabuntur gentes multae ad Dominum in illa die,
et scies quia Dominus misit me ad te.*

Oratio (OV 224; L4, 20; Em 30, 657)

Domine Iesu Christe,

qui magnum in mundo per matrem tuam miraculum praebuisti,
dum in eius medio te habitaturum promittis,
ex cuius incorrupto utero nasceris,
dum eam et concipiendo et pariendo matrem efficis,
et decus virginitatis non adimis:

da, quaesumus, petitionibus nostris;
ut ipsa tibi pro nobis dignas deferat preces,
quae, te parturiendo, nomen promeruit accipere genetricis.

R/ Amen.

Ipsò auxiliante Domino, qui cum Patre et Spiritu Sancto,
unus Deus, gloriatur in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Missa VI

Antiphona (AL 71; L4, 21; Em 30, 658)

(Ps 84,10-11; Ps 88,14)

Ut inhabitet gloria in terram nostram,
misericordia et veritas occurrerunt sibi,
iustitia et pax osculatae sunt se.

V/ Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua.

*R/ Misericordia et veritas occurrerunt sibi,
iustitia et pax osculatae sunt se.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Misericordia et veritas occurrerunt sibi,
iustitia et pax osculatae sunt se.*

Oratio (OV 225; L4, 22; Em 30, 659)

Domine Iesu Christe, gloria terrae nostrae,
 qui magnum incarnationis tuae mysterium
 in alterna sibimet occurrione veritatis
 atque misericordiae perfecisti;
 quique beatissimam Mariam,
 tibi et matrem et virginem consecrasti,
 dum te, et incorrupta edidit, et ad te gloriosa perrexit:
 parce, quaesumus, nobis;
 ut, eadem suffragante, quamlibet simus indigni,
 et castitatis donum,
 et beatitudinis mereamur obtinere triumphum.

R/ Amen.

Auxiliante Domino nostro Iesu Christo,
 cuius arma viciticia permanent
 per numquam finita saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 72; L4, 23; Em 30, 660)

(Ps 84,12-13; Ps 88,15)

Iustitia de caelo prospexit;
 etenim Dominus dabit benignitatem,
 et terra nostra dabit fructum suum.

V/ Misericordia et veritas praecedent faciem suam.

*R/ Etenim Dominus dabit benignitatem,
 et terra nostra dabit fructum suum.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Etenim Dominus dabit benignitatem,
 et terra nostra dabit fructum suum.*

Oratio (OV 226; L4, 24; Em 30, 661; Br Goth 1297)

Christe Deus, sapientia summi Patris et Verbum,
 qui aedificasti tibi comptissimam domum,
 Mariae virginis uterum,
 in qua ipse caelestis iustitia prospicis,
 et de qua fructum benignitatis tuae producis,
 dum in ea et absque veste corporea Deus ingredieris,
 et de qua vestitus carne procedis:
 praesta nobis supplicibus tuis,
 ut sanctificatam nos tibi in domum efficias,
 de qua, ut sponsus procedens,
 operum nostrorum dignitate circumfultus appareas.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 72; L4, 25; Em 30, 662)

(Ps 84,13-14; Ps 147,4)

Terra nostra dabit fuctum suum, alleluia;
iustitia ante eum ambulavit,
et ponet in via gressus suos, alleluia, alleluia.

*V/ Qui emittit eloquium suum terrae,
velociter currit sermo eius.*

*R/ Iustitia ante eum ambulavit,
et ponet in via gressus suos, alleluia, alleluia.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Iustitia ante eum ambulavit,
et ponet in via gressus suos, alleluia, alleluia.*

Oratio (OV 227; L4, 26; Em 30, 663)

Christe, salutis nostrae admirabile pretium,
qui terram materni uteri fructu incarnationis tuae ditificas,
dum et conceptum tuum mirabiliter operaris,
et conceptionis tuae fructum ex terra,
quam ipse fueras operatus, producis;
sicque maternae virginis claustra,
et conceptu servas et parturitione glorificas:
esto servator cordis et corporis populi tui,
pro quibus incarnationis mysterium assumisti;
ut, qui te natum veraciter confitemur ex virgine,
te nos post transitum gratulemur in munere invenisse.

R/ Amen.

Ipsò praestante, qui cum Deo Patre vivit et regnat
in unitate Spiritus Sancti in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 72; L4, 27; Em 30, 664)

(Mich 4,5.8; 5,2)

Nos omnes ambulabimus in nomine Domini Dei in aeternum,
quoniam regnabit Dominus in montem Sion.

Et tu turris gregis nebulosa, filia Sion,

ad te veniet salvator,
 et veniet potestas prima regnum filiae Ierusalem.
V/ Et tu Bethlehem domus Ephrata,
non eris minima in principibus Iuda.
R/ Ad te veniet salvator,
et veniet potestas prima regnum filiae Ierusalem.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Ad te veniet salvator,
et veniet potestas prima regnum filiae Ierusalem.

Oratio (OV 232; L4, 28; Em 30, 665)

Nos omnes ambulantes in nomine tuo,
 Unigenite Filius Dei Patris,
 petimus et rogamus, atque exponscimus;
 ut qui te incarnatum credimus in uterum Virginis,
 fidei remuneremur ex praemiis;
 et qui te in montem Sion regnaturum pronuntias,
 in nostris cordibus habitaturum te sine fine ostende.
R/ Amen.
 Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Missa VII

Antiphona (AL 72; L4, 29; Em 30, 666)
 (Ct 8,5-6; cfr. Ez 40, 26; cfr. Ps 47, 4)

Haec est quae ascendit a deserto
 deliciis affluens et incumbens super dilectum suum;
 pone me sicut signaculum supra cor tuum,
 et quasi munile in brachio tuo,
 quoniam fortis est dilectio.
V/ Deus in gradibus eius dignoscetur eum, suscipiet eam.
R/ Quoniam fortis est dilectio.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Quoniam fortis est dilectio.

Oratio (OV 229; L4, 30; Em 30, 667)

Domine Iesu, omnipotens et immense,
 cuius virtus incomprehensibilis, et operatio extat mirabilis,
 qui gloriam tuam, dum ad virginem venis, humilias,
 et naturam humani generis
 exiens virginalia claustra sublimas:
 pone nos sicut signaculum supra cor tuum,
 et quasi munile in brachio dextrae tuae,
 dans nobis et modeste praesentibus uti,
 et futuris feliciter frui;
 ut, qua veritate virgo te genuit hominem simul ac Deum,
 eadem te habeamus propitium semper ac pium.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 72; L4, 31; Em 30, 668)

(Ct 6,9; Ps 44,13; Ps 47,12)

Haec est quae progreditur a deserto consurgens,
 pulchra ut luna, electa ut sol,
 terribilis ut castrorum acies ordinate.

V/ Vultum tuum deprecabuntur divites plebis.

*R/ Pulchra ut luna, electa ut sol,
 terribilis ut castrorum acies ordinate.*

*V/ Laetetur mons Sion, exultent filiae Iudae,
 propter iudicia tua, Domine.*

*R/ Pulchra ut luna, electa ut sol,
 terribilis ut castrorum acies ordinate.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Pulchra ut luna, electa ut sol,
 terribilis ut castrorum acies ordinate.*

Oratio (OV 230; L4, 32; Em 30, 669)

Deus, qui hominem ad tuae similitudinis imaginem formas,
 et gloriosius in carnis assumptione glorificas,
 dum aliter eum in primordio lutea massa producit,
 aliter in fine saeculi virginalis incorruptio parturit:
 tribue nobis, et servare quod sumus a te potentialiter conditi,
 et copiosius amare quod existimus ex miseratione redempti;

ut et lunae comparati, ecclesiae fulgeamus in gremio,
et electi ut sol, caritatis emicemus exemplo.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 72; L4, 33; Em 30, 670)

(Sir 24,17.19.23; Ps 144,1)

Sicut cedrus exaltata sum in Libano, alleluia;
et sicut oliva speciosa in campis, alleluia;
sicut vitis fructificavi suavitatem odoris,
alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Dilexi quoniam exaudivit Dominus vocem orationis meae.

*R/ Sicut vitis fructificavi suavitatem odoris,
alleluia, alleluia, alleluia.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Sicut vitis fructificavi suavitatem odoris,
alleluia, alleluia, alleluia.*

Oratio (OV 231; L4, 34; Em 30, 671)

Emitte lucem tuam et veritatem tuam,
Domine Deus noster,
quae influxit in utero virginis,
et in veritate nobis apparuit carnis;
ut, sicut cedrus in Libano,
spiritualibus exaltemur in gaudiis,
et in te fructificemur, ut oliva speciosa in campis;
quatenus splendor divinitatis tuae,
caliginem nostrae mentis enubilet,
et vera humanitatis assumptio,
humani generis sit manifesta redemptio;
ut dum verus Deus verusque homo
in nobis atque pro nobis ostenderis,
opus tuum omnipotentia eripiat ab hoste captivum,
et enutriat misericordia iam redemptum.

R/ Amen.

Auxiliante sua misericordia, qui vivit cum Deo Patre,
et regnat cum Spiritu Sancto, unus Deus,
in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 72-73; L4, 35; Em 30, 672)

(Cfr. Ct 2,17; 4,8; Ps 16,8; Ps 44,5)

Iam aspirat dies et amovebuntur umbrae noctis;
 sola es speciosa, sola es immaculata
 veniens a Libano, veniens a Libano,
 veniens a cubilibus leonum, a montibus pardorum;
 sic nos instruxisti sicut pupillam oculi tui.
V/ Speciem et pulchritudinem tuam intende,
prospere, procede et regna.
R/ Veniens a cubilibus leonum, a montibus pardorum;
 sic nos instruxisti sicut pupillam oculi tui.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Veniens a cubilibus leonum, a montibus pardorum;
 sic nos instruxisti sicut pupillam oculi tui.

Oratio (OV 228; L4, 36; Em 30, 673)

Domine Iesu Christe,
 qui ideo verus dies fidei nobis lumen aspiras,
 ut infidelitatis umbras a nostris cordibus arceas,
 quique ob hoc ingrederis uterum virginis humilis Deus,
 ut egrediaris ex virgine homo glorificatus in Deum:
 da nobis, tam prompte implere quod iubes,
 quam pro certo dedisti nosse quod redimis;
 ut, sicut nos in praesenti redemptio nostra laetificat,
 ita etiam in futuro sententia iudicantis absolvat.

R/ Amen.

Ipsò auxiliante Domino,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 gloriatur in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psalmus L

Antiphona (Br Goth 1292)

(Cfr. Ps 50,9)

Aspersit me Dominus Deus hyssopo, et mundavit me; lavavit
 me, et supra nivem dealbavit me.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Aspersit me Dominus Deus hyssopo, et mundavit me; lavavit
 me, et supra nivem dealbavit me.

Oratio (Br Goth 1292)

Deus, qui semper quae vera sunt diligis;
 et quae sunt occultata, tua sapientia manifestas;
 qui virginalem uterum
 pro mundi salvatione ingredi dignatus es:
 asparge nos hyssopo verbi tui,
 et munda nos ab iniquitatibus nostris,
 ut qui tibi soli peccavimus, et malum gessimus coram te,
 non iratus peccatis tribuas paenam,
 sed propitius spiritum rectum, qui te invocet,
 in nostris infunde visceribus.

R/ Amen.

Ipsa praestante et auxiliante,
 qui cum patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Canticum (AL 73; L4, 37; Em 30, 674; Br Goth 1297)

(Lc 1,46-55)

Antiphona (AL 73; L4, 37; Em 30, 674; Br Goth 1297-1298)

(Cfr. Lc 1,49-50)

Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius; et misericordia eius in omni progenie et generatione.

Magnificat * anima mea Dominum,
 et exultavit spiritus meus * in Deo salvatore meo,
 quia respexit humilitatem ancillae sua. * Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes,
 quia fecit mihi magna, qui potens est, * et sanctum nomen eius,
 et misericordia eius a progenie in progenies * timentibus eum.

Fecit potentiam in bracchio suo, * dispersit superbos mente cordis sui;
 deposit potentes de sede * et exaltavit humiles;
 esurientes implevit bonis, * et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel, puerum suum, * recordatus misericordiae,
 sicut locutus est ad patres nostros, * Abraham et semini eius in saecula.

Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto, * in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius; et misericordia eius in omni progenie et generatione.

Oratio de cantico (Br Goth 1298)

Magnificat ecce te, Domine, Redemptorem nostrum,
 beatae Genetricis voce omnis conventus ecclesiae;
 quia respexisti humilitatem ancillae tuae,
 cum te et Virgo sancta concepit,
 et Ecclesia credendo cognovit, cum de illa prodieris;
 et istam redimeres, cum illam beatam dicunt omnes gentes;
 in istam beatificantur popolorum omnium nationes:
 suscipe ergo, Domine, Israel populum tuum,
 memor misericordiae tuae;
 qui locutus es patribus nostris;
 ut complementum sit divinae promissionis,
 totius mundi redemptio singularis.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Benedictiones

Antiphona (AL 73; L4, 38; Em 30, 675; Br Goth 1298)

(Cfr. Apc 5,13; 19,7)

Benedictio, et honor, et gloria, et potestas Deo nostro;
 quoniam venerunt nuptiae Agni, gaudeamus et laetemur, alleluia.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Benedictio, et honor, et gloria, et potestas Deo nostro; quoniam
 venerunt nuptiae Agni, gaudeamus et laetemur, alleluia.

Oratio de benedictionibus

(Ut in ordinario in officio festivo)

Sonus (AL 73; L4, 39; Em 30, 676; Br Goth 1290)

(Cfr. Lc 1,31.35)

Apparuit angelus Mariae, dicens:

Ecce concipies et paries Filium,
 et vocabis nomen eius Emmanuel, alleluia.

V/ Spiritus Sanctus veniet in te, et virtus excelsi obumbrabit te;
quod autem nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.

R/ Et vocabis nomen eius Emmanuel, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et vocabis nomen eius Emmanuel, alleluia.

Psalmi laudate, 148-150

Antiphona (Br Goth 992, 996, 998, 1002, 1007, 1010, 1028, 1032, 1062, 1072, 1105, 1114-1115, 1118, 1122-1123, 1127, 1132, 1137, 1142, 1147, 1151, 1157, 1204, 1217, 1264, 1283, 1298; cfr. AL 73) (Ps 148,1)

Laudate Dominum de caelis, alleluia, alleluia; laudate eum in excelsis, alleluia, alleluia, alleluia.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Laudate Dominum de caelis, alleluia, alleluia: laudate eum in excelsis, alleluia, alleluia, alleluia.

Lectio (Br Goth 1298)

(Ez 40, 1b; 43, 5.1-2.3b. 4a.6-7; 44,1-3.4; 3,12)

Lectio libri Ezechielis prophetae.

R/ Deo gratias.

Facta est super me manus Domini, et elevavit me spiritus, et duxit me ad portam, quae respiciebat ad viam orientalem, et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur, et vox erat quasi vox aquarum multarum, et terra splendebat a maiestate eius. Et cecidi super faciem meam.

Et maiestas Domini ingressa est templum. Et audivi loquentem ad me de domo, cum vir staret iuxta me, dixit ad me: “Fili hominis, locus solii mei et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in aeternum”.

Et convertit me ad viam portae sanctuarii exterioris, quae respiciebat ad orientem, et erat clausa; et dixit Dominus ad me: “Porta haec clausa erit; non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa. Princeps, ut princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino”.

Rursumque vidi: Et ecce gloria Domini implevit domum Dei, et audivi vocem dicentis: Benedicta gloria Domini de loco sancto suo.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 1298-1299; AL 73; L4, 41; Em 30, 678)

A solis ortus cardine
adusque terrae limitem,
Christum canamus principem
natum Maria virgine.

Gaudete quidquid gentium
Iudea, Roma et Grecia,
Aegyptus, Thrax, Persa, Scytha;
Rex unus possidet.

Laudate vestrum Principem
omnes beati ac perdit;
ubi imbecilli, ac mortui,
iam nemo post haec mortuus.

Fit porta Christi pervia,
referta plena gratia;
transitque Rex et permanet,
clausa, ut fuit per saecula.

Genus superni numinis
processit aula Virginis,
Sponsus, Redemptor, Conditor,
suae gigas Ecclesiae.

Honor matris et gaudium,
immensa spes credentium
per atra mortis pocula
resolvit nostra crimina.

Lapis de monte veniens,
mundumque replens gratia,
quem non praecissum manibus
vates vetusti nuntiant.

Deo Patri sit gloria,
eiusque soli Filio
cum Spiritu Paraclito,
regnans per omne saeculum. Amen.

Qui Verbum caro factum est,
praeconio angelico,
de claustris virginalibus
virginis virgo natus est.

Rorem dederunt aethera
nubesque Iustum fuderunt;
patens excepit Dominum
terra salutem generans.

Mirabilis conceptio
Christum protulit sobolem,
ut Virgo partum funderet,
post partum virgo sisteret.

Exultet omnis anima
nunc Redemptorem gentium,
mundi venisse Dominum
redimere quos condidit.

Creator cuncti generis,
orbis, quem totus non capit,
in tua, sancta Genetrix,
sese reclusit viscera:

Quem, Pater ante tempora
Deus, Deumque genuit,
matris alma virginitas,
cum tempore partum edidit.

Tollens cuncta facinora,
et donans sancta munera,
augmentum lucis afferens,
tenebris damnum inferens.

Versus (L4, 41)

(Ps 45,6)

V/ Deus in medio eius non commovebitur.

R/ Adiuvabit eam Deus mane diluculo.

Supplicatio (Br Goth 1291)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per interventum et meritum
gloriosae sanctae Mariae Virginis et Genitricis suae,
nobis remissionem peccatorum
et pacem propitiis donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison.

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (OV 233; L4, 42; Em 30, 680; Br Goth 1300)

O sacratissimi Verbi ancilla et mater,
quam ostendit generatio Virginem,
et virginitatis comprobat Genetricem:
patulo pietatis sinu concurrentem ad te populum suscipe;
tu profusis pietatum visceribus pascito gregem,
quem suo Filius ex te progrediens mercatus es sanguine;
tu praebes ubera creandis, quae nutrix facta es creatoris;
tu obsequio servitutis tuae glorifica,
quod tibi deferri inspicis obsequellam;
simus tuo praemuniti suffragio,
qui suavi servitutis tuae delectamur perfrui iugo,
et omnes qui ob honorem conceptionis tuae
hoc in loco tuis decantamus in laudibus,
in tua perpetim servitute vivamus,
venientes ad eum, explosa criminum labe,
cuius te votivis excolimus officiis Genetricem;
ut et hic nos te multiplici affectu tuearis in saeculo,
et post ex te genitus regnatos possideat in aeternum.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(Ut in ordinario in officio festivo)

Benedictio (OV 234; L4, 43; Em 30, 681)*Diac.* Humiliate vos benedictioni.*Presb.* Dominus sit semper vobiscum.*R/* Et cum spiritu tuo.

Christus Dominus, qui sic matrem potentialiter fecundavit,
 ut virginitatis gloriam non auferret,
 sua vos gratia fecundos efficiat, et bono virginitatis attollat.

R/ Amen.

Quique pro nobis homo fieri in virginis utero voluit,
 incentiva libidinum in carne vestra mortificet.

R/ Amen.

Ac, sicut salutem nostram mirabiliter altissimi virtus effectit,
 ita copia benedictionis eius in vobis affluenter exuberet.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

*R/ Amen.**Psallendum* (AL 73; L4, 44; Em 30, 682)

(Cfr. Sir 24,15-16)

In Sion firmata sum, in civitate sanctificata, alleluia;
 potestas mea in parte Dei mei, alleluia;
 et plenitudine sanctorum detemptio mea, alleluia.

Oratio (Br Goth 1292)

Gratiam plenam habere te credimus,
 o Virgo Christi genetrix
 et humani generis reparatrix, gloriosa Maria,
 quae tanta nobis gaudia pariendo contulisti,
 ut fructus ventris tui, qui est Christus Filius Dei,
 a dominio in nos saevientis eriperet inimici,
 et in regno aeterno consortes faceret sibimetipsi.

Proinde quaesumus, te rogamus, ut ad sis patrona nobis,
 ut et merito tuo nos Filius tuus a delicto exules reddat,
 et post in regno suo perenniter habitaturos introducat:
 praesta nobis,
 ut, qui te concupiscens sibi advocavit in matrem,

nobis concupiscentiae suae opulentam largiatur dulcedinem.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Item eodem die ad vesperum

Oblatio luminis

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Vespertinum (AL 67; L4, 6, 70; Em 30, 693; Br Goth 1290)

(Cfr. Ier 31,4; Ps 149,3; Ps 36,6; Ct 6,9; Ps 44,10; Idt 13,23; 15,10; Ps 44,14,11; Ct 2,10)

Virgo Israel, ornare tympanis tuis,
et egredere in choro psallentium.

V/ Beata es regina quae prospicis quasi lumen.

R/ Egredere in choro psallentium.

V/ Egredere quasi aurora valde rutilans.

R/ In choro psallentium.

V/ Assistit regina in vestitu deaurato.

R/ In choro psallentium.

V/ Benedicta es tu filia a Domino Deo tuo.

R/ In choro psallentium.

V/ Benedicta tu prae omnibus mulieribus super terram.

R/ In choro psallentium.

V/ Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel.

R/ Egredere in choro psallentium.

V/ Esto filia fortissimi omnis gloria filiae regis.

R/ Egredere in choro psallentium.

V/ Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam.

R/ Egredere in choro psallentium.

V/ Propera et veni, in salute popolorum.

R/ Egredere in choro psallentium.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Egredere in choro psallentium.

Oratio (Br Goth 1290)

Virgo Israel,

quae utique mater Videntis intellegoris,
 ornare tympanis tuis, id est, membris Ecclesiae,
 ut te habeamus patronam in saeculo,
 quam beatam reginam credimus permanere in futuro:
 ut prospicientes te lumen credulitatis nostrae sine dubio esse;
 te interpellante,
 favorem beatitudinis mereamur firmissime obtinere.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Sonus (AL 76; L4, 71; Em 30, 694)

(Ps 44, 11-13.16)

Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam,
 quia concupivit rex pulchritudinem tuam, alleluia.

V/ Ipse est Dominus, Deus tuus,
 et adorabunt eum filiae Tyri in muneribus,
 vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis,
 omnis gloria eius.

R/ Quia concupivit rex pulchritudinem tuam, alleluia.

V/ Offerentur regi virgins post eam,
 proximae eius adducentur tibi in laetitia et exultatione,
 adducentur in templo regis.

R/ Quia concupivit rex pulchritudinem tuam, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ Quia concupivit rex pulchritudinem tuam, alleluia.

Antiphona (AL 76; L4, 72; Em 30, 695)

(Sir 24, 25.24.23; Ps 44,2)

In me est spes omnis vitae et virtutis,
 ero mater pulchrae dilectionis, et rami mei odoris et gratiae.

V/ Eructavit cor meum verbum bonum,
 dico ego opera mea regi.

R/ Ero mater pulchrae dilectionis, et rami mei odoris et gratiae.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ Ero mater pulchrae dilectionis, et rami mei odoris et gratiae.

Alleluiaiticum (AL 76; L4, 73; Em 30, 696; Br Goth 1300)
 (Cfr. Lc 1,45; Ps 114,1)

Beata sum quae credidi;
 quoniam implebuntur omnia,
 quae dicta sunt mihi a Domino, alleluia, alleluia.
V/ Dilexi quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meae.
R/ Quoniam implebuntur omnia
 quae dicta sunt mihi a Domino, alleluia, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Quoniam implebuntur omnia
 quae dicta sunt mihi a Domino, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 1291; AL 68; L4, 11; Em 30, 678, 697)

A solis ortus cardine adusque terrae limitem, Christum canamus principem natum Maria virgine.	Enixa est puerpera: quem Gabriel praedixerat; quam matrem alvo gestiens, clausus Iannes senserat.
Beatus auctor saeculi, servile corpus induit: ut carne carnem liberans, ne perderet quos condidit.	Fit porta Christi pervia, referta plena gratia; transitque Rex et permanet, clausa, ut fuit per saecula.
Clausa Parentis viscera caelestis intrat gratia: venter puellae baiulat secreta quae non noverat.	Genus superni numinis processit aula Virginis, Sponsus, Redemptor, Conditor, suae gigas Ecclesiae.
Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei intacta nesciens virum, verbo creavit Filium.	Honor Matris et gaudium, immensa spes credentium, per atra mortis pocula mundi resolvit crimina.
Deo Patri sit gloria, eiusque soli Filio cum Spiritu Paraclito, regnans per omne saeculum. Amen.	

Versus (AL 76)

(Ps 86,2)

V/ Diligit Dominus portas Sion.

R/ Super omnia tabernacula Iacob.

Supplicatio (Br Goth 1291)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut per interventum et meritum
gloriosae sanctae Mariae Virginis et Genitricis suae,
nobis remissionem peccatorum
et pacem propitiis donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison.

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (OV 235; L4, 75; Em 30, 698; Br Goth 1300)

Beata est, Christe,

gloriosa saeculi dominatrix Maria virgo tua,
quae ab angelo credidit, quod perficerentur ea,
quae a Domino dicta sunt illi:
praesta ergo nobis, exposcimus,
ut, qui conceptum Virginis celebrantes peregrimus,
ad festum nativitatis tuae emaculatis cordibus veniamus.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 236; L4, 76; Em 30, 699; Br Goth 1300)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Verbum, quod matrem fecit ut virgo maneret,
nobis attribuat virginitatis opem.

R/ Amen.

Et qui intacta eius servavit viscera ventris,
custos dignetur vester adesse iugis.

R/ Amen.

Ut, qui conceptum matris celebratis ovando,
lux sitis in mundo, iustificante Deo.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 1292)

(Mich 5,5; Ps 48,2)

Ecce tempus, dicit Dominus,
in quo parturiens generabit, alleluia.

Et erit iste pax in aeternum,
alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Audite haec omnes gentes,
auribus percipite qui habitatis orbem.

R/ Et erit iste pax in aeternum,
alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et erit iste pax in aeternum,
alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1292)

Gratiam plenam habere te credimus,
o Virgo Christi genetrix
et humani generis reparatrix, gloriosa Maria,
quae tanta nobis gaudia pariendo contulisti,
ut fructus ventris tui, qui est Christus Filius Dei,
a dominio in nos saevientis eriperet inimici,
et in regno aeterno consortes faceret sibimetipsi.

Proinde quaesumus, te rogamus, ut ad sis patrona nobis,
ut et merito tuo nos Filius tuus a delicto exules reddat,
et post in regno suo perenniter habitaturos introducat:
praesta nobis,

ut, qui te concupiscens sibi advocavit in matrem,
nobis concupiscentiae suae opulentam largiatur dulcedinem.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

**Die 21 decembris
In diem Sancti Thomae, Apostoli
Festivitas**

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (AL 12, 17, 478)

(Ps 3,9)

Super populum tuum benedictio tua.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Super populum tuum benedictio tua.

Collecta de psalmo III

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Missa

Antiphona (Br Goth 1304)

(Ps 20,4.6; Ps 1,1)

Posuisti, Domine, super caput eius
coronam de lapide pretioso.

Gloriam et magnum decorem super eum imponens.

V/ Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum,
et in via peccatorum non stetit,
et in cathedra pestilentiae non sedet.

R/ Gloriam et magnum decorem super eum imponens.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Gloriam et magnum decorem super eum imponens.

Oratio (Br Goth 1304)

Domine Iesu Christe,
qui posuisti in capite martyris tui Thomae Apostoli
coronam de lapide pretioso, in fundamento fundatam;
ut non confundatur, qui in te credidit;
coronetur, quia pro te animam posuit:
sit ergo, intercessionibus eius,
in nobis famulis tuis fides vera qua in te credamus;
confessio sedula, qua te etiam coram persecutoribus
promptissima devotione confiteamur:
quatenus interveniente tanto Martyre,
coram te et angelis tuis minime confundamur.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (Br Goth 1304)

(Dt 33,8; Nm 16,47; IIPar 28,3; Ps 36,30)

Perfectio et doctrina viro sancto tuo,
quem probasti, Domine, in tentatione;
obtulit thymiana in conspectu tuo.
Et adolevit incensum super altare tuum.

V/ Os iusti meditabitur sapientiam,
et lingua eius loquetur iudicium.

R/ Et adolevit incensum super altare tuum.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et adolevit incensum super altare tuum.

Oratio (Br Goth 1304)

Omnipotens Deus,
qui Martyrem tuum Thomam Apostolum tuum,
in miseratione et misericordia coronasti,
dum illi, in te credere, et pro te pati donasti,
ut temporalem sustinens poenam,
coronam raperet sempiternam:

intercessione eius praesta nobis famulis tuis,
 ut si passionis eminentiam non attingimus,
 passionis ignorantiae careamus,
 ut quibus virtutum tituli non ascribantur ad gloriam,
 vitiorum dedecora, ne veniamus in poenam.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (Br Goth 1304)

(Ps 63,3; cfr. Ps 118,65)

Protextisti eum, Domine,
 a conventu malignantium, alleluia.
 Et a multitudine operantium iniquitatem, alleluia.
V/ Iucunditatem fecisti cum servo tuo, Domine,
 secundum verbum tuum.
R/ Et a multitudine operantium iniquitatem, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Et a multitudine operantium iniquitatem, alleluia.

Oratio (Br Goth 1304)

Deus, qui vitam sancti tui Thomae Apostoli martyris,
 ea ratione erexisti, ut ille coronaretur meritis,
 nosque provocaremur exemplis:
 tribue, ut cuius hodie natalitii diem debito honore veneramur,
 ipsi defensori ante conspectum maiestatis tuae sociemur.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri,
 qui vivit et omnia regit in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (Br Goth 1304-1305)

(Cfr. Gn 6,9; 8,21; 9,11; Ps 90,14)

Inveni unum iustum, qui placuit ante me,
 et dedi signum meum inter me et ipsum:
 ut dum cooperit sacrificare mihi, odorabo odorem suavitatis.
 Et memor ero testamenti sancti mei,
 ut iam ultra non deleam universam carnem.
V/ Quoniam in me speravit, liberabo eum,
 protegam eum quoniam cognovit nomen meum.

*R/ Et memor ero testamenti sancti mei,
ut iam ultra non deleam universam carnem.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Et memor ero testamenti sancti mei,
ut iam ultra non deleam universam carnem.*

Aliud responsorium (Br Goth 1305)

(Cfr. Sir 21,20)

Alleluia. In labiis iusti haerebit gratia;
os eius quaeretur in ecclesia,
et verba illius, cogitabunt recta, alleluia, alleluia.

*V/ De ore iusti procedunt mella;
dulcedo mellis est lingua eius,
favum distillans labia eius.*

R/ Cogitabunt recta, alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Cogitabunt recta, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1305)

Praesta nobis, omnipotens Deus,
beatissimi testis tui Thomae Apostoli
assiduum patrocinium:
ut eius quoque praeclarum assequi mereamur exemplum,
et sentientes impensisime suffragantem,
sequamur fortissime proeliantem.

R/ Amen.

Per tuam magnam misericordiam, Deus noster,
qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psalmus L

Antiphona (Br Goth 991, 995, 1012, 1017, 1020, 1027)

(Cfr. Ps 50,17)

Labia mea, Domine, aperies; et os meum annuntiabit
laudem tuam.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Labia mea, Domine, aperies; et os meum annuntiabit laudem
tuam.

Oratio (Br Goth 1027)

Exultent, Domine, labia nostra praeconio veritatis,
 ut non resolvantur vaniloquio falsitatis;
 sicque lingua nostra iudicium veritatis loquatur,
 ut Christum tuum verum iudicem,
 promptissima devotione laudet:
 atque ita praecepta tua assidue in nostro corde versentur,
 ut gressus nostri ab insidiosis decipulis minime supplantentur.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis, et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Canticum VT (Br Goth 879-880)

(1 Sm 2,1-8; Ier 9,22-23; 1 Sm 2, 10)

Antiphona (Br Goth 992, 1174)

(1 Sm 2,1-2)

Laetor in sanctitate tua quoniam non est aliis Deus quomodo
 Deus noster.

Exultavit cor meum in Domino, * exaltatum est cornu meum
 in Deo meo;
 dilatatum est os meum super inimicos meos, * quoniam
 laetata sum in salutari tuo.

Non est sanctus ut est Dominus + neque enim est aliis extra
 te, * et non est fortis sicut Deus noster.

Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes. * Recedant
 superba de ore vestro,
 quia Deus scientiarum Dominus est, * et ab eo ponderantur
 actiones.

Arcus fortium confractus est, * et infirmi accinti sunt
 robore.

Saturati prius pro pane se locaverunt, * et famelici non
 eguerunt amplius.

Sterilis peperit plurimos, * et, quae multos habebat filios,
 emarcuit.

Dominus mortificat et vivificat, * deducit ad infernum et
 reducit.

Dominus pauperem facit et ditat, * humiliat et sublevat;
 suscitat de pulvere egenum * et de stercore elevat
 pauperem,

ut sedeat cum principibus * et solium gloriae teneat.

Dat votum optanti, * et benedicit annos iusti.
 Quoniam non in viribus potens est vir; + Dominus infirmum
 facit adversarium suum * Dominus sanctus.
 Non glorietur sapiens in sapientia sua, + et non glorietur
 fortis in fortitudine sua, * et non glorietur dives in divitiis
 suis;
 sed in hoc glorietur, qui gloriatur: * sciere et nosse me,
 quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam * et iudicium
 et iustitiam in terra.
 Dominus conteret adversarios suos; * super ipsos in caelis
 tonabit.
 Dominus iudicabit fines terrae + et dabit imperium regi suo
 * et sublimabit cornu christi sui.
 Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto, * in saecula
 saeculorum. Amen.

Ant. Laetor in sanctitate tua quoniam non est alius Deus quomodo
 Deus noster.

Oratio de cantico (Cfr. Br Goth 1174)

Praesta nobis, omnipotens Deus,
 beatissimi testis tui Thomae Apostoli
 assiduum patrocinium:
 ut eius quoque praeclarum assequi mereamur exemplum,
 et sentientes impensisime suffragantem,
 sequamur fortissime proeliantem.

R/ Amen.

Per tuam magnam misericordiam, Deus noster,
 qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Benedictiones

Antiphona (Br Goth 1305)

(Sir 11,24)

Benedictio Domini in mercedem iusti festinat.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Benedictio Domini in mercedem iusti festinat.

Oratio de benedictionibus

(Ut in ordinario in officio festivo)

Sonus (Br Goth 990)

(Ps 17,33.36)

Deus praecinxit me virtutem;
et posuit immaculatam viam meam, alleluia.

V/ Dextera tua, Domine, suscepit me,
et disciplina tua ipsa me docuit, alleluia.

R/ Et posuit immaculatam viam meam, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et posuit immaculatam viam meam, alleluia.

Psalmi laudate, 148-150

Antiphona (Br Goth 992, 996, 998, 1002, 1007, 1010, 1028, 1032,
1062, 1072, 1105, 1114-1115, 1118, 1122-1123, 1127, 1132, 1137,
1142, 1147, 1151, 1157, 1204, 1217, 1264, 1283, 1298)

(Ps 148,1)

Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis,
alleluia.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis,
alleluia.

Lectio (Br Goth 1305)

(Eccli 31,8-10)

Lectio libri Ecclesiastici Salomonis

R/ Deo gratias

Beatus dives, qui inventus est sine macula et qui post aurum
non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris.

Quis est hic, et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in
populo suo. Quis probatus est in illo et perfectus est? Erit illi gloria
aeterna. Quis potuit transgredi et non est transgressor, facere mala
et non fecit?

Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas
illius enarrabit omnis ecclesia sanctorum.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 1305)

Cunctus mundus patule triumphat:
 Iesus e caelis veniens coruscat,
 cuius adventu renovatur orbis
 perpetim omnis.

Promite ob Thomae gens mores
 beatos:
 hinc dies summus dicatur almus,
 quod fidem Christi cecinens in
 Indos,
 numerat illos.

Sanctus, et conscius Patriae
 supernae,
 gentem adquirit pietate Christi;
 rite coniunxit sibi hymnum
 illa potenter.

Aedem exponit nimiam in arvam
 regis ipsorum merito fruendam,
 quem potius reserata ibidem
 intullit illam.

Inde hic Martyr inciditur serris,
 sanctus accitus, illita cruento
 membra sic ponit, succurrat terra
 in die altera.

Doctus insignia socius peremptus:
 aulam frater parat, et Redemptori
 copiam reddens, Creatori nostro
 illico parens.

Christe cum Sanctis veneris in die,
 attrahe princeps populos iam ad te;
 ignem atrocem fugiamus;
 ipsumque
 caelitus canamus.

Gloriam psallat chorus et resultet:
 gloriam dicat, canat et revolvat,
 Nomi Trino, Deitati soli
 sidera clament. Amen.

Versus (Br Goth 889)

(Ps 111,7)

*V/ In memoria aeterna erit iustus.
 R/ Ab auditione mala non timebit.*

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.
 Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
 cum omni supplicatione rogemus;
 ut per intercessionem sancti Thomae apostoli et martyris,
 remissionem peccatorum, et pacem donare dignetur.

*R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.
 Kyrie eleison
 R/ Christe eleison, Kyrie eleison.*

Compleuria (Br Goth 1306)

Exaudi, Domine, has familiae tuae voces,
 quas humiliter in preces fundimus;
 et propitiatus tribue, quae supplices deprecamur:
 ut qui hunc celeberrimum diem
 in honorem beatissimi martyris tui Thomae Apostoli colimus,
 tam digni omnes inveniamur
 in hoc ipso nostrae devotionis obsequio,
 quam ille hoc suo potuit obtainere suffragio,
 quo te iubente dicamus:

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (Br Goth 1306)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Beatissimi Martyris Thomae Apostoli
 vos Dominus intercessione custodiat.

R/ Amen.

Sperantium in se necessitates placatus intendat.

R/ Amen.

Et supplicantium culpas propiciatus dimittat.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus
 et vivit et omnia regit in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 991)

(*Ps 39,3-4.2*)

Statuit Dominus supra petram pedes meos;
 et direxit gressus meos.

Et immisit in os meum, alleluia;
 hymnum Deo nostro, alleluia.

V/ Expectans expectavi Dominum,
 et intendit mihi.

R/ Et immisit in os meum, alleluia;
 hymnum Deo nostro, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Et immisit in os meum, alleluia;
hymnum Deo nostro, alleluia.*

Oratio (Br Goth 1304)

Omnipotens Deus,
qui Martyrem tuum Thomam Apostolum tuum
in miseratione et misericordia coronasti,
dum illi, in te credere, et pro te pati donasti,
ut temporalem sustinens poenam,
coronam raperet sempiternam:
intercessione eius praesta nobis famulis tuis,
ut si passionis eminentiam non attingimus,
passionis ignorantiae careamus,
ut quibus virtutum tituli non adscribantur ad gloriam,
vitiorum dedecora, ne veniamus in poenam.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ad vesperum

Oblatio luminis

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Vespertinum (Br Goth 994; AL 24)

(Ps 8,6b; Ps 20,6)

Gloria et honore coronasti eum, Domine.

V/ Gloriam et magnum decorem imposuisti super eum.

R/ Coronasti eum, Domine.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Coronasti eum, Domine.

Sonus (Br Goth 990)

(Ps 17, 33.36)

Deus praecinxit me virtutem;
et posuit immaculatam viam meam, alleluia.
V/ Dextera tua, Domine, suscepit me;
et disciplina tua ipsa me docuit, alleluia.
R/ Et posuit immaculatam viam meam, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Et posuit immaculatam viam meam, alleluia.

Antiphona (Br Goth 1301)

(Cfr. Ps 104,21; Ps 26,30)

Coronavit eum Dominus, et benedixit, et dilexit illum.
Et supra multa munera constituit eum.
V/ Os iusti meditabitur sapientiam,
et lingua eius loquetur iudicium.
R/ Et supra multa munera constituit eum.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Et supra multa munera constituit eum.

Alleluiaiticum (Br Goth 1301)

(Ps 111,1)

Corona gratiarum coronavit eum Dominus.
Et corona deliciarum protexit illum,
alleluia, alleluia, alleluia.
V/ Beatus vir qui timet Dominum;
in mandatis eius cupid nimis.
R/ Et corona deliciarum protexit illum,
alleluia, alleluia, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Et corona deliciarum protexit illum,
alleluia, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 1305)

Cunctus mundus patule triumphat:
 Iesus e caelis veniens coruscat,
 cuius adventu renovatur orbis
 perpetim omnis,

Promite ob Thomae gens mores
 beatos:
 hinc dies summus dicatur almus,
 quod fidem Christi cecinens in
 Indos,
 numerat illos.

Sanctus, et conscius Patriae
 supernae,
 gentem adquirit pietate Christi;
 rite coniunxit sibi hymnum
 illa potenter.

Aedem exponit nimiam in arvam
 regis ipsorum merito fruendam,
 quem potius reserata ibidem
 intullit illam.

Inde hic Martyr inciditur serris,
 sanctus accitus, illita cruento
 membra sic ponit, succurrat terra
 in die altera.

Doctus insignia socius peremptus:
 aulam frater parat, et Redemptori
 copiam reddens, Creatori nostro
 illico parens.

Christe cum Sanctis veneris in die,
 attrahe princeps populos iam ad te;
 ignem atrocem fugiamus;
 ipsumque
 caelitus canamus.

Gloriam psallat chorus et resultet:
 gloriam dicat, canat et revolvat,
 Nomi Trino, Deitati soli
 sidera clament. Amen.

Versus (Br Goth 888)

(Sap 10, 10)

V/ Iustum deduxit Dominus per vias rectas.

R/ Et ostendit illi regnum Dei.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
 cum omni supplicatione rogemus;
 ut per intercessionem sancti Thomae apostoli et martyris,
 remissionem peccatorum, et pacem donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (Br Goth 1303)

Domine Deus, Pater omnipotens,
 qui regnas in aeternum, et in saeculum saeculi,
 qui in lumine habitas incomprehensibilis;
 Deus qui caelum, terramque firmasti:
 qui duo luminaria magna fecisti;
 Deus, qui hominum genus condidisti,
 ut te non solum caelestia,
 sed etiam terrestria conditorem suum
 congrua laudatione magnificarent;
 qui Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum
 ad nos de sede gloriae tuae dirigere dignatus es,
 qui nos ab originali delicto liberaret,
 et tibi Deo, ut pius Dominus reformaret;
 ut hominem, quem invidus praedo
 sua deceptione demerserat in infernum,
 eius invicta potentia ad sedem,
 unde numquam discesserat, sublevaret in caelum;
 rogamus te, Domine,
 ut in huius sacrificii vespertini hora incensi,
 ob honorem sancti Thomae Apostoli et martyris tui,
 plebi tuae propitieris,
 et abstergas ab eis sordes cuncti delicti;
 ut qui in nomine tuo vicit callidum hostem,
 pro nobis famulis tuis ferre non deneget opem;
 ut de diaboli insidiatoris muscipula liberemur;
 et, cunctis peccatis abstensis, cum sanctis suis
 in regno tuo pariter tripudiemur, Piissime.

R/ Amen.

Tua concedente clementia, piissime et admirabilis Deus,
 qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (Br Goth 1303)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Omnipotens Deus,
per interventum beatissimi Apostoli sui Thomae
veniam vobis delictorum tribuat,
et culpas vestras miseratus ignoscat.

R/ Amen.

Peccata vestra a vobis sustollat,
et delicta vestra laxando dimittat.

R/ Amen.

Criminum vestrorum maculas abluat;
et intercedente beatissimo Apostolo suo,
indulgentiam vobis propitius concedat.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus
et vivit et omnia regit in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 991)

(Ps 39,3-4.2)

Statuit Dominus supra petram pedes meos;
et direxit gressus meos.

Et immisit in os meum, alleluia;
hymnum Deo nostro, alleluia.

V/ Expectans expectavi Dominum,
et intendit mihi.

R/ Et immisit in os meum, alleluia;
hymnum Deo nostro, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et immisit in os meum, alleluia;
hymnum Deo nostro, alleluia.

Oratio (Br Goth 1304)

Omnipotens Deus,
qui Martyrem tuum Thomam Apostolum tuum
in miseratione et misericordia coronasti,
dum illi, in te credere, et pro te pati donasti,
ut temporalem sustinens poenam,

coronam raperet sempiternam:
 intercessione eius praesta nobis famulis tuis,
 ut si passionis eminentiam non attingimus,
 passionis ignorantiae careamus,
 ut quibus virtutum tituli non adscribantur ad gloriam,
 vitiorum dedecora, ne veniamus in poenam.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

**Die 22 decembris
 In diem sancti Isidori, episcopi hispalensis
 Sollemnitas**

Omnia dicantur ut in commune unius Confessoris Pontificis

**Die 26 decembris
 In diem sancti Stephani
 Festivitas**

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (Br Goth 225, 502; AL 96, 337, 354)
 (Ps 3, 4b)

Gloria mea et exaltans caput meum

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Gloria mea et exaltans caput meum

Collecta de psalmo III (OV 1188; T 35.7, 187; Br Goth 288, 467)

Gloria nostra, Deus noster,
 da nobis, ut in te sine fine gloriemur;
 quosque fecisti de capitibus exaltatione sublimes,

quaesumus ut efficias
 de totius corporis consummata salute securos;
 elevet abiectionem nostram tua magnifica celsitudo;
 ut, qui humilitate tua a terrenis erigimur,
 exaltatione quoque tua ad caelestia provehi mereamur.

R/ Amen.

Per ineffabilem bonitatem tuam, Deus noster,
 qui vivis et cuncta dominaris in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Missa I

Antiphona (AL 96; T35.7, 188)

(Cfr. Act 6,11; 7,58; Ps 129,2; Ps 118,17)

Sederunt principes et constituerunt homines qui dicerent:
 audivimus eum maledicere Deum et legem.

Et lapidaverunt innocentem invocantem Deum.

V/ Exaudi vocem meam,
fiant aures tuae intendentibus in vocem deprecationis meae.

R/ Et lapidaverunt innocentem invocantem Deum.

V/ Domine, retribue servo tuo, vivifica me.

R/ Et lapidaverunt innocentem invocantem Deum.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et lapidaverunt innocentem invocantem Deum.

Oratio (OV 318; T35.7, 189)

Adest, Domine,
 illa tui martyris Stephani gloria sollemnitas,
 in qua principum synagogae persecutio insolens,
 veritatis illum fecit utique testem,
 dum ex passione protulit martyrem,
 quem utique lapidaverat innocentem:
 quaesumus ergo,
 ut qui invocantem eum pro inimicis dignatus es exaudire,
 pro nostris facinoribus,
 ad aures tuas eius suffragia digneris admittere.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 96; T 35.7, 190; Br Goth 126)

(Cfr. Act 7,58; 6,15; Ps 88, 22)

Lapidabant Stephanum qui erat in concilio
et intuebantur vultus eius,
tamquam vultus angeli Dei stantem inter illos.

V/ Manus enim mea auxiliabitur ei,
et brachium meum confirmabit eum.

R/ Vultus eius tamquam vultus angeli Dei stantem inter illos.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Vultus eius tamquam vultus angeli Dei stantem inter illos.

Oratio (OV 319; T 35.7, 191; Br Goth 126)

Domine Iesu Christe,
qui in concilio lapidantium
beatissimi martyris tui Stephani ita glorificas vultum,
ut ab his, qui eum lapidabant,
lapidati aspectus intueretur angelicus,
dum preminens in illo mostraretur magistra patientiae virtus:
da nobis meritis eius, ita bono patientiae exornari,
ut ex hoc mereamur praemio aeternitatis attoli.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 96; T 35.7, 192)

(Act 8,2; Ps 111,1; cfr. Ps 118,65)

Comportaverunt Stephanum viri timorati,
et fecerunt planctum magnum super eum, alleluia.

V/ Beatus vir qui timet Dominum,
in mandatis eius volet nimis.

R/ Et fecerunt planctum magnum super eum, alleluia.

V/ Iucunditatem fecisti cum servo tuo,
Domine, secundum verbum tuum.

R/ Et fecerunt planctum magnum super eum, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et fecerunt planctum magnum super eum, alleluia.

Oratio (OV 320; T 35.7, 193)

Comportaverunt, Domine,
 Stephanum testem tuum viri timorati,
 et qui eum in timore tuo perseverasse cognoverant,
 propter timorem tuum eidem obsequia deferebant;
 ut dignas obsequentium haberet exequias,
 qui tot hostium reportasset triumphando manubias;
 et, cum nihil ad te iam veniens, indigeret,
 officia terrena libenter susciperet,
 ut aeterna beneficia fidelibus impetraret:
 adsistat ergo nunc, omnipotens Pater, tantus martyr,
 et faveat credentium votis;
 ut ea, quae sibi propter te impendi cognoscit,
 famulantibus tibi ex te uberius recompenset.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, que est benedictus,
 et vivit et omnia regit in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 96; T 35.7, 194; L4, 171)

(Cfr. Is 53,9)

Elegi virum de plebem meam in martyrium mihi,
 et ecce inimici eius foderunt usque ad atria eius,
 et ego ut dominus vindicabo eum,
 quia sanguis eius clamat ad me.

*V/ Ego Dominus dabo impius pro morte sua,
 et divites pro sepultura eius.*

R/ Quia sanguis eius clamat ad me.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Quia sanguis eius clamat ad me.

Oratio (OV 321; T 35.7, 195; L4, 172)

Electum, Christe Domine, de plebe tua
 virum cognoscimus primitivum esse Stephanum,
 quem dum primum voluisti decorare gloria passionis,
 primaeva eum ditasti corona inter discipulos veritatis:
 concede ergo nobis,
 ut veritas in ore nostro semper speciosa praepolleat,
 et a nostris cordibus eius efficientia non recedat;
 ut, dum praedicatores veritatis existimus,
 veritati sine fine iungamur.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Missa II

Antiphona (AL 96; T 35.7, 196; L4, 173)

(Act 6,8; Ps 14,2)

Stephanus plenus gratia et virtute,
in nomine Domini faciebat virtutem in populo.

V/ Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam.

R/ Faciebat virtutem in populo.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Faciebat virtutem in populo.

Oratio (OV 322; T 35.7, 197; L4, 174)

Christe, Deus noster et Domine,
per quem Stephanus martyr tuus, plenus gratia et veritate,
signa et virtutes fecit in populis:
da nobis meritis eius a nostris emundare contagiis;
ut qui in infidelibus signa operatus es sanitatis,
in credentibus operetur virtutes sanctae perfectionis.

R/ Amen.

Ipsò praestante, qui vivit cum Deo Patre et Spiritu Sancto,
in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 97; T 35.7, 198; L 4, 175)

(Cfr. Act 7, 58-59; Ps 40, 2)

Dum lapidaretur Stephanus, genibus positis, orabat dicens:
Domine, ne statuas illis hoc peccatum.

V/ Beatus qui intellegit super egenum et pauperem,
in die mala liberabit eum Dominus.

R/ Ne statuas illis hoc peccatum.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Ne statuas illis hoc peccatum.

Oratio (OV 323; T 35.7, 199; L 4, 176; cfr. Br Goth 125)

Domine Iesu Christe,
 qui ita munere tuo beati Stephani animam munerasti,
 ut non solum passioni tuae sequeretur exemplum,
 sed etiam patientiae raperet documentum;
 ut supplicaret pro hostibus qui non cederet saevientibus,
 fortis ad perforanda vulnera, fortis ad reddenda convivia,
 fortis dum ab impiis lapidatur,
 fortis dum pro lapidantibus deprecatur:
 qui ergo, immemor ultionis, pro lapidantibus exoravit,
 memor caritatis in nullo supplicantibus desit.

R/ Amen.

Ipsò praestante et auxiliante,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in aeterna saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 97; T 35.7, 200; L 4, 177; Br Goth 125)

(Act 7, 56-57; Ps 118, 65)

Impetum fecerunt unanimiter adversus Stephanum,
 et falsi testes deposuerunt vestimenta sua,
 et eicientes eum extra civitatem,
 lapidabant illum, invocantem et dicentem:
 Domine Iesu, accipe spiritum meum,
 alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Iucunditatem fecisti cum servo tuo, Domine,
secundum verbum tuum.

R/ Domine Iesu, accipe spiritum meum,
alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Domine Iesu, accipe spiritum meum,
alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 324; L 4, 178; Br Goth 126)

Impetu facto, persequentium turba non potuit,
 Christe Domine, Stephani tui martyris turbare constantiam,
 cum etsi falsorum testium crudelitate
 carnis vestimenta depositum,
 oris tamen confessionem, qua te credidit, non amisit,
 cum lapidatus etiam te Deum,
 ut eius spiritum exciperes, exoravit:

te ergo quae sumus et rogamus,
 ut illa nos gratia tuae pietatis remuneret,
 qua illum coronasti post lapides;
 et qui eius spiritum suscepisti in gloriam,
 aeterna, quae sumus, a nobis propitiatus remove supplicia.

R/ Amen.

Regnante Domino Iesu Christo,
 qui vivit cum Deo Patre et regnat cum Spiritu Sancto,
 in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 97; L 4, 179; Br Goth 126)

(Ps 115, 3-4)

Super acerbum lapidem laetata est anima mea,
 et super inimicos meos Deum deprecatus sum,
 propterea vindemiabo fructus meos in pace,
 et ministrabo in conspectu Domini
 de bonis quae praestitit mihi.

V/ Quid retribuam Domino pro omnibus quae praestiti mihi?
Calicem salutaris accipiam.

*R/ Et ministrabo in conspectu Domini
 de bonis quae praestitit mihi.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Et ministrabo in conspectu Domini
 de bonis quae praestitit mihi.*

Oratio (OV 325; L 4, 180; Br Goth 126)

Domine Iesu Christe,
 qui animam beatissimi martyris tui Stephani
 tanta munera gratia decorasti,
 ut super acervum lapidem exultaret,
 et pro inimicis te, ut illis parceretur, exposceret:
 reple corda nostra munere gratiarum,
 et immarcessibili dono virtutum,
 ut interventu tui martyris
 ita ministremus semper in conspectu tuo de bonis,
 quae praestiteris nobis,
 qualiter et hic dilatemos sanctitatis in opere,
 et post vindemiemus fructus nostros in pace.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Missa III

Antiphona (AL 97; L 4, 183)

(Cfr. 1Tim 1,16; Ps 22,1)

Gratias ago Deo qui me confortabit
ut in me primum ostenderet Christus Iesus,
omnem patientiam ad eorum exemplum
qui credituri sunt illi in vitam aeternam.

V/ Dominus regit me, et nihil mihi deerit.

R/ Ad eorum exemplum
qui credituri sunt illi in vitam aeternam.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Ad eorum exemplum
qui credituri sunt illi in vitam aeternam.

Oratio (OV 326; L4, 184)

Gratias tibi agimus, Domine Iesu Christe,
qui in beatissimum martyrem tuum Stephanum
ita primum ostendisti totius patientiae documentum,
ut veritatis pro certo eum approbans esse discipulum,
qualiter ad exemplum eorum qui tibi crederent,
novus bellator ac primitivus exurgens,
animam, quam tibi sacraverat fide, passione etiam consecraret:
fave ergo precibus nostris, qui favorem eius meritis tribuisti;
ut sicut ille lapidari pro veritate promeruit,
ita nos, pro fide, qua te credimus,
coronandi ad te mereamur admitti.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 97; T 35.7, 201; L 4, 181)

(Col 1, 24; Ps 91, 2)

Gaudeo in passionibus meis

quia expleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea
propter corpus eius quod est Ecclesia.

V/ Bonum est confiteri Domino,
et psallere nomini tuo Altissime.

R/ Propter corpus eius quod est Ecclesia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Propter corpus eius quod est Ecclesia.

Oratio (OV 327; T 35.7, 202; L 4, 182)

Iesu, Dei Filius, ad quem martyr Stephanus,
dum passionum dirigit votum,
in suis passionibus collaetatur,
dum ea quae desunt passionibus Christi
in carne sua implesse dignoscitur:
libera nos a passionibus spiritualium nequitiarum,
ut credulitas fidei cristianae
sic nos virtutum ubertate remuneret,
ut coronandos tibi post transitum, et placituros assignet.

R/ Amen.

Auxiliante sua misericordia,
qui vivit cum Deo Patre, et regnat cum Spiritu Sancto,
unus Deus, in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 97; T 35.7, 203; L 4, 185)

(Cfr. 2Cor 11, 23.25; 2Tim 4,18; Ps 115, 3)

Alleluia, in laboribus multis, fui semel lapidatus,
et de his omnibus liberavit me Deus, alleluia, alleluia.

V/ Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi.

R/ Et de his omnibus liberavit me Deus, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et de his omnibus liberavit me Deus, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 328; T 35.7, 204; L 4, 186)

Christe, Filius Dei Patris,
qui beatissimum martyrem tuum Stephanum
in multis laboribus constitutum

de duorum lapidantium generibus victorem esse fecisti,
 dum et multiplicitate linguis infidelibus,
 et semel repperitur infidelibus manibus lapidatum:
 libera nos, suffragiis eius, a linguis inique loquentium,
 et ab impugnantibus carnalium vitiorum;
 ut munitione fidei christianaee,
 et externa bella superantes et intima,
 aeternam mereamur pertrahi ad coronam.

R/ Amen.

Ipso auxiliante Domino,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 gloriatur in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 97-98; T35.7, 205; L 4, 187; Em 30, 911)
 (Cfr. Act 7, 55.59; Gn 18,3)

Stephanus vidit caelos apertos
 et exoravit Dominum, et dixit:
 Si inveni gratiam in oculis tuis,
 dimitte illis peccatum istum.

V/ Dum lapidaretur Stephanus,
genibus positis, orabat dicens:

R/ Si inveni gratiam in oculis tuis,
dimitte illis peccatum istum.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Si inveni gratiam in oculis tuis,
dimitte illis peccatum istum.

Oratio (OV 329; T35.7, 206; L 4, 188; Em 30, 912)

Domine Iesu Christe,
 qui martyrum tuorum triumphos,
 propria passione primitus acquisisti,
 ut in illis vinceret, quos pro te vincere praestitisses,
 inter quos Stephanum testem tuum elegisti,
 tempore et munere primum;
 quae sumus tuae Maiestatis potentiam:
 ut interventu tanti martyris
 nos digneris a malis omnibus liberare,
 quem pro inimicis orantem
 clementer dignatus es exaudire;
 ut qui te, apertis caelis videns,

pro inimicis exoravit, ut parceres,
publicatis confessionibus nostris,
te deprecetur, ut vulnera nostra sanes.

R/ Amen.

Ipso praestante, qui vivit cum Deo Patre et Spiritu Sancto
in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Missa IV

Antiphona (Br Goth 125; T35.7, 207)

(Cfr. Act 7, 58.60; Ps 115, 1)

Lapidaverunt me inimici mei,
et fixurae lapidum suorum in testimonium illis erunt;
dum venero ante iudicium petere pro peccatis eorum.

V/ Credidi propter quod locutus sum,
ego autem humiliatus sum nimis.

R/ Et fixurae lapidum suorum in testimonium illis erunt;
dum venero ante iudicium petere pro peccatis eorum.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et fixurae lapidum suorum in testimonium illis erunt;
dum venero ante iudicium petere pro peccatis eorum.

Oratio (OV 331; T35.7, 208)

Domine Iesu Christe,
qui piissimum Stephanum testem tuum,
impiorum fallacia coronasti,
ut perverso testimonio falsitatis,
egregius ille testis fieret veritatis,
inestimabili praemio, inenarrabilique iudicio
bonum illius infestationi providens iniquorum,
cum et illi malitia sua fructum caperent,
et beatus Martyr patientiae gloriam reportaret:
praesta, igitur, omnipotens Deus,
ut interventu tanti Martyris,
a nobis, famulis tuis, falsitatis commenta recedant,
et veritatis praeconia in tuo honore
assidua confessione persistant.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (T35.7, 209)

(Cfr. Act 7, 56; Ps 93, 12)

Stephanus vidit caelos apertos, et introibit;
beatus homo cui caeli patent.

V/ Beatus homo, quem tu erudieris, Domine,
et de lege tua docueris eum.

R/ Beatus homo cui caeli patent.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Beatus homo cui caeli patent.

Oratio (OV 332; T35.7, 210)

Domine Iesu Christe,
ecce insanientium iudeorum odia,
quae in tua passione dudum extincta non fuerant,
in martyris tui Stephani denuo invidia recrudescunt;
persequuntur denique veritatis discipulum,
qui proditores ipsius extiterunt veritatis,
metuentes ne, si ille vera dicendo praevaleret,
veraciter ipsi perirent,
quibus melius fuisse, ut, re convicti,
commissae rei penitudinem gererent,
quam sic saeviendo malorum cumulum adderent:
praesta igitur, omnipotens Deus,
ut nobis famulis tuis ita sit amoris veritas,
ne omnino subripiat falsitas,
ac si aliquo errore mortalium deviamus,
intercessione martyris tui satisfactionis munere corrigamur.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (T35.7, 211)

Stephanus martyr repletus Spiritu Sancto,
intendens caelos, alleluia, vidi gloriam Dei;

et laudem Domino canebat dicens:
alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine,
Secundum verbum tuum.

R/ Et laudem Domino canebat dicens:
alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et laudem Domino canebat dicens:
alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 334; T35.7, 212; cfr. Br Goth 130)

Memores praceptorum tuorum, Domine Iesu Christe,
quibus memoriis sanctorum communicare paecepisti,
beatissimi martyris tui,
sparsos per orbem meritorum títulos celebramus,
qui coronam, quam nominis sui interpretatione promeruit,
privilegio sanctitatis obtinuit:
praesta, igitur, eodem interveniente,
ut qui paeconia ipsius religionis cultu veneramur,
patrocinia impensius consequamur.

R/ Amen.

Auxiliante sua misericordia, qui vivit cum Deo Patre,
et regnat cum Spiritu Sancto, unus Deus,
in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (T35.7, 213)

(Cfr. Act 7, 59; 8, 2)

Hic est prior martyr, qui post Redemptorem,
Christi secutus est crucem,
qui pro fide Dei lapidatus est,
plorant atque perorant eum viri timorati.
Ipse clamabat: Pater iuste, aperi caelos.

V/ Stephanus martyr, expandens manus suas ad caelum,
te pie clamabat.

R/ Pater iuste, aperi caelos.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Pater iuste, aperi caelos.

Oratio (OV 333; T 35.7, 214)

Adiuva nos, Domine,
 patrocinio beati Stephani testis tui,
 cuius fides ianuam confessionis aperuit,
 cuius devotio martyrii viam sacravit,
 cuius triumphus principium remunerationis emeruit;
 et dignanter attribue:
 ut omnis ecclesia,
 quae nunc veneratur agonem martyris gloriosum,
 mereatur exoratum, sufragantis auxilium.

R/ Amen.

Per gratiam pietatis suaे,
 qui est benedictus in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psalmus L

Antiphona (L4, 189; OV 547; Em 30, 913, 338; T35.7, 215; AL 57, 262, 377, 424)
 (Ps 50, 16)

Libera me de viris sanguinum, Deus salutis meae.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Libera me de viris sanguinum, Deus salutis meae.

Oratio (OV 547; T35.7, 216; Br Goth 580)

Christe, Deus nostrae salutis,
 qui passionibus tuis nostrorum criminum passiones extinguis:
 libera nos de sanguinibus viris,
 et ab omnibus corruptionibus nostris;
 ut facta carnis et sanguinis declinantes,
 non virorum sanguinum praecipitio interiri,
 sed placitum tibi mereamur numero aggregari.

R/ Amen.

Ipsò praestante, qui vivit cum Deo Patre et Spiritu Sancto,
 in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Canticum VT (Br Goth 869; T35.7, 218; L4, 191)

(Ier 17, 8.14-18)

Antiphona (Br Goth 869; T35.7, 217; L4, 191)

(Ier 17, 7)

Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus
 fiducia eius.

Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, + quod ad humorem mittit radices suas * et non timebit, cum venerit aestus:
 et erit folium eius viride, + et in anno siccitatis non erit sollicitum, * nec aliquando desinet facere fructum.
 Sana me, Domine, et sanabor; + salvum me fac, et salvus ero,
 * quoniam laus mea tu es.
 Ecce ipsi dicunt ad me: * “Ubi est verbum Domini? Veniat”.
 Et ego non institi pro malo apud te, * et diem calamitatis non desideravi,
 tu scis: quod egressum est de labiis meis, * rectum in conspectu tuo fuit.
 Non sis mihi tu formidini; * refugium meum in die afflictionis.
 Confundantur, qui me persequuntur, + et non confundar ego;
 * paveant illi, et non paveam ego;
 induc super eos diem afflictionis * et duplice contritione contere eos.
 Gloria et honor Patri et Filio, et Spiritui Sancto, * in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius.

Oratio de cantico (Br Goth 450; OV 788; cfr. T35.2, 1056)

Confundantur omnes, Domine,
 qui persequuntur in nos nomen sanctum tuum,
 et non confundamur nos, qui veneramur et credimus,
 et passionis tuae iniuriam,
 et resurrectionis tuae potentiam.
 Praevaleat ergo virtus gloriae tuae,
 quae, et persequentes te a pravitate deterreat,
 et credentes in aeternum tibi laetabundos coniungat.

R/ Amen.

Adiuvante tua dextera, Deus noster,
 qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Benedictiones

Antiphona (T 35.7, 219; L 4, 192; Em 30, 915; Br Goth 126)

Benedictio Domini in mercedem iusti festinat.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Benedictio Domini in mercedem iusti festinat.

Oratio de benedictionibus
(Ut in ordinario in officio festivo)

Sonus (AL 391; L4, 193; Em 30, 916)
 (Ps 24, 20.5)

Custodi animam meam, Domine,
 et libera me, alleluia, alleluia.
V/ Dirige me in veritate tua, et doce me,
 quia tu es Deus salvator meus,
 et expectavi tota die, alleluia, alleluia.
R/ Et libera me, alleluia, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Et libera me, alleluia, alleluia.

Psalmi laudate 148-150

Antiphona (L4, 194)

(Ps 150, 1)

Laudate Dominum in sanctis eius, alleluia, alleluia.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Laudate Dominum in sanctis eius, alleluia, alleluia.

Lectio (Br Goth 126-127)

(Sap 4, 7-15)

Lectio libri Sapientiae Salomonis.

R/ Deo gratias

Iustus autem, si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

Senectus enim venerabilis, non quae est diurna, neque annorum numero computatur; cani autem sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata.

Placens Deo factus est dilectus et vivens inter peccatores translatus est; raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.

Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiae transvertit sensum sine malitia.

Consummatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatis. Populi autem videntes et non intelligentes, nec ponentes in praecordiis talia, quoniam gratia et misericordia est in electis eius, et visitatio in sanctis illius.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 124; AL 96; T 35.7, 221; Em 30, 908)

Christus est vita vieniens in orbem,
mortis occasu patiens acerbae
mortis actu, pietatis usu
vivere donat.

Sustulit vulnus, removendo mortem;
mortis auctorem perimendo, surgit;
Patris ad dexteram repetendo, regnat
sede superna.

Tunc sequens primus Stephanus
minister,
sortis illatae titulo decorus,
quam dedit spirans Domini benignus
spiritus illi.

Vadit exemplo Domini revinctus,
testibus falsis adopertus insonis,
iudicum portans scelerata Sanctus
dicta malorum

Ore caelesti refellit malignos,
et probat constans ratione falsos,
semper indignos Domino polorum
credere nolle.

Saxeo nimbo lapidatus; instat
Paulus, et summus lapidantum
servat
vestes, ut reddat liberos ad ictum
caede cruentos.

Sustinet mortis rabiem prophanam
plenus omni pietate cordis,
hostibus quaerit veniam, misertus
pectore grato.

Imbuit primus, homines beatos
corde directo, iecore fideli
in fide Christi iugulata telis
ponere membra.

Quaesumus flentes, bendicte prime
martyr, et civis sociate iustis,
caelitus clarae regionis heres
inlyte pollens.

Promptus hic nostrum facinus
remitte;
tolle languorem, tribue salutem,
confodi hostem, releva moerorem,
morte subacta.

Gloriam psallat chorus, et resultet;
gloriam dicat, canat, et revolvat,
nomini trino Deitati soli
sidera clament. Amen.

Versus (L4 195)

(Ps 111, 7)

*V/ In memoria aeterna erit iustus.
R/ Ab auditione mala non timebit.*

Supplicatio (Br Goth 124)

Oremus.

Dei Patris omnipotentis misericordiam,
supplices imploremus;
ut nos gratia Christi sui Domini nostri Iesu Christi,
et per intercessionem sancti martyris sui Stephani,
propitius iustificare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison.

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (OV 335; T35.7, 222; L4, 196; Em 30, 917; Br Goth 127)

Beatissime Stephane, protomartyr,
vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit;
ut qui mortem pro illo sumeres,
coronam per illum et nomine et virtute susciperes;
primus in martyrio, primus in praemio,
primus in aula mundi, primus in aula caeli,
ut hic pro Christo lapidatus,
illic ab ipso coronatus, exultes,
ut pro quo hic crudelissimam sustinuisti poenam,
illic praetiosissimam susciperes coronam:
ergo qui extitisti Ecclesiae primitivus,
nunc esto patronus assiduus;
ut sit Christus nobis, te precante, propitius,
pro quo martyr extitisti mirificus.

R/ Amen.

Praestante sua misericordia, qui in Trinitate unus Deus
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 336; T35.7, 223; L4, 197; Em 30, 918)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Omnipotens Iesus Christus,
 qui Stephanum principatum martyrii contulit,
 conferat vobis sua dulcedine renovari.

R/ Amen.

Quique eum lapidari permisit ab impiis,
 non patiatur vos lacerari ullo modo ab iniquis.

R/ Amen.

Ut ab eo vestrum accipiatur votum,
 a quo idem martyr suscipi suum rogavit spiritum.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
 qui in Trinitate, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 125)

(Ps 111, 1-2)

Beatus vir qui timet Dominum, alleluia.

In mandatis eius cupit nimis, alleluia, alleluia.

V/ Potens in terra erit semen eius,
generatio rectorum benedicetur.

R/ In mandatis eius cupit nimis, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ In mandatis eius cupit nimis, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 323; T 35.7, 199; L 4, 176; cfr. Br Goth 125)

Domine Iesu Christe,
 qui ita munere tuo beati Stephani animam munerasti,
 ut non solum passioni tuae sequeretur exemplum,
 sed etiam patientiae raperet documentum;
 ut supplicaret pro hostibus qui non cederet saevientibus,
 fortis ad preferenda vulnera, fortis ad reddenda convivia,
 fortis dum ab impiis lapidatur,
 fortis dum pro lapidantibus deprecatur:
 qui ergo, immemor ultionis, pro lapidantibus exoravit,
 memor caritatis in nullo supplicantibus desit.

R/ Amen.

Ipsa praestante et auxiliante,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in aeterna saecula saeculorum.

R/ Amen.

*Conclusio**(Ut in ordinario in officio festivo)***Ad vesperum***Oblatio luminis**(Ut in ordinario in officio festivo)**Vespertinum (AL 95; Em 30, 905)**(Act 6,5; Ps 129, 5-6)*

Alleluia, elegerunt Apostoli Stephanum,
 virum plenum fide et Spiritu Sancto, alleluia.
 V/ Speravit anima mea in Domino,
 a custodia matutina usque ad noctem.
R/ Virum plenum fide et Spiritu Sancto, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Virum plenum fide et Spiritu Sancto, alleluia.

*Sonus (AL 95)**(Ps 102, 1.4)*

Benedic anima mea Domino,
 et omnia quae intra me sunt nomini sancto eius.
 V/ Qui coronat te in misericordia et miserationibus.
R/ Et omnia quae intra me sunt nomini sancto eius.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Et omnia quae intra me sunt nomini sancto eius.

*Antiphona (AL 95; Em 30, 906)**(Act 9,4; Ps 88, 22; Ps 28, 3)*

Facta est vox de caelo dicentis:
 Saule quid me persequeris?
 Frustra insanisti contra nomen meum,
 et lapidasti Stephanum martyrem meum;
 ego te faciam servum meum.
 V/ Manus enim mea auxiliabitur ei,
 et brachium meum confortabit eum.
R/ Frustra insanisti contra nomen meum,
et lapidasti Stephanum martyrem meum;
ego te faciam servum meum.
V/ Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit,
Dominus super aquas multas.

*R/ Frustra insanisti contra nomen meum,
et lapidasti Stephanum martyrem meum;
ego te faciam servum meum.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Frustra insanisti contra nomen meum,
et lapidasti Stephanum martyrem meum;
ego te faciam servum meum.*

Alleluiaiticum (AL 96; Em 30, 907)

(Cfr. Act 7, 54-55; Ps 111,2)

Fremebant cordibus suis aduersus Stephanum,
stridebant dentibus suis,
ipse vero plenus Spiritu Sancto intendens caelos
vidit gloriam Dei, alleluia, alleluia.

*V/ Potens in terra erit semen eius,
generatio rectorum benedicetur.*

R/ Vedit gloriam Dei, alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Vedit gloriam Dei, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 124; AL 96; T 35.7, 221; Em 30, 908)

Christus est vita veniens in orbem,
mortis occasu patiens acerbae
mortis actu, pietatis usu
vivere donat.

Saxeo nimbo lapidatus; instat
Paulus, et summus lapidantum
servat
vestes, ut reddat liberos ad ictum
caede cruentos.

Sustulit vulnus, removendo mortem;
mortis auctorem perimendo, surgit;
Patris ad dexteram repetendo,
regnat
sede superna.

Sustinet mortis rabiem prophanam
plenus omni pietate cordis,
hostibus quaerit veniam, misertus
pectore grato.

Tunc sequens primus Stephanus
minister,
sortis illatae titulo decorus,
quam dedit spirans Domini benignus
spiritus illi.

Imbuit primus, homines beatos
corde directo, iecore fideli
in fide Christi iugulata telis
ponere membra.

Vadit exemplo Domini revinctus,
testibus falsis adopertus insonis,
iudicum portans scelerata Sanctus
dicta malorum

Ore caelesti refellit malignos,
et probat constans ratione falsos,
semper indignos Domino polorum
credere nolle.

Quaesumus flentes, bendicte prime
martyr, et civis sociate iustis,
caelitus clarae regionis heres
inclyte pollens.

Promptus hic nostrum facinus
remitte;
tolle languorem, tribue salutem,
confodi hostem, releva moerorem,
morte subacta.

Gloriam psallat chorus, et resultet;
gloriam dicat, canat, et revolvat,
nomini trino Deitati soli
sidera clament. Amen.

Versus (Em 30, 909, 308)

(Ps 36, 30)

V/ Os iusti meditabitur sapientiam.

R/ Et lingua eius loquetur iudicium.

Supplicatio (Br Goth 124)

Oremus.

Dei Patris omnipotentis misericordiam,
supplices imploremus;
ut nos gratia Christi sui Domini nostri Iesu Christi,
et per intercessionem sancti martyris sui Stephani,
propitius iustificare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison.

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Compleuria (OV 316; Br Goth 124-125)

Deus, cui ecclesia tua, sanctum Stephanum martyrem,
primum messis sua manipulum dedit,
et primitivam oblationem novellae confessionis ostendit,
ac praeconium, quem fructum fidei maturescentis exhibuit:
praesta universo coetui intercessione martyris memorati,
ut Ecclesiam tuam iuvet suffragio, quam ornavit ministerio,
foveat patrocinio, quam aedificavit exemplo.

R/ Amen.

Per ineffabilem bonitatem tuam, Deus noster,
 qui vivis et cuncta dominaris in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Pater noster
(Ut in ordinario in officio festivo)

Petitio
(Ut in ordinario in officio festivo)

Benedictio (OV 317; T35.7, 184; Br Goth 125)

Diac. Humiliate vos benedictioni.
Presb. Dominus sit semper vobiscum.
R/ Et cum spiritu tuo.

Dominus Iesus Christus,
 qui primum suae passionis sequacem
 Stephanum martyrem fecit,
 det nobis suae passionis exemplo
 victoriam ferre de mundo.

R/ Amen.

Sui quoque martyris prece,
 similem nobis tribuat vim suae dilectionis habere,
 et adversitates aequali tolerantia superare.

R/ Amen.

Ut instructi exemplo Redemptoris et invitamento martyris,
 percipiamus plenitudinem nostrae redemptionis.

R/ Amen.

Ipsò praestante et auxiliante,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in aeterna saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (AL 96; T35.7, 185)

(Ps 90, 14.16)

Liberabo eum, dicit Dominus, alleluia;
 protegam eum alleluia,
 et ostendam illi salutare meum alleluia, alleluia, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Et ostendam illi salutare meum alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 323; T 35.7, 199; L 4, 176; cfr. Br Goth 125)

Domine Iesu Christe,
 qui ita munere tuo beati Stephani animam munerasti,
 ut non solum passioni tuae sequeretur exemplum,
 sed etiam patientiae raperet documentum;
 ut supplicaret pro hostibus qui non cederet saevientibus,
 fortis ad preferenda vulnera, fortis ad reddenda convivia,
 fortis dum ab impiis lapidatur,
 fortis dum pro lapidantibus deprecatur:
 qui ergo, immemor ultionis, pro lapidantibus exoravit,
 memor caritatis in nullo supplicantibus desit.

R/ Amen.

Ipsò praestante et auxiliante,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in aeterna saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Die 27 decembris In diem sanctae Eugeniae, virginis et martyris Memoria

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (L4 224; AL 456; Em 30, 52; LOS 729; S6, 302, 460; Br Goth 80, 97, 108, 241)
 (Ps 3, 9)

Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.

(Psalmus ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.

Collecta de psalmo III

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Missa

Antiphona (AL 98; L4, 225; Em 30, 930; Br Goth 1287)

(Cfr. Sap 19, 9; Ps 32, 12)

Sancti tui, Domine, velut oves exaltaverunt magnificantes te,
quia liberasti eos.

V/ Beata gens cuius est Dominus Deus eius.

R/ Quia liberasti eos.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Quia liberasti eos.

Oratio (L4, 236; Em 30, 931)

Sancti tui, Domine, velut oves exultant,
quorum vita et per innocentiam monstratur conspicua,
et per passionum certamina gloriosa.

Sint ergo adiutrices precum nostrarum
almae orationes eorum.

Ut imbecillitati nostrae non immemores,
ita de sua retributionis gloria te magnificent,
ut sollicititudinem nostrae defensionis
paenitus non relinquant.

Et sic de sua immortalitate tripudient,
ut nos sibi in requiem aeternam consocient.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 98; L4 226; Em 30, 932; Br Goth 1287)

(Cfr. Ex 14, 21-22; Ps 33, 18.20)

Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter,
deservientes praeceptis tuis ut invenirentur illaesi,
in aqua valida terra apparuit arida,
et in mari Rubro viam sine impedimento.

V/ Clamaverunt iusti et Dominus exaudivit,
et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

R/ Ut invenirentur illaesi,
in aqua valida terra apparuit arida,
et in mari Rubro viam sine impedimento.

V/ Multae tribulationes iustorum,
et de omnibus his liberavit eos.

R/ Ut invenirentur illaes,
in aqua valida terra apparuit arida,
et in mari Rubro viam sine impedimento.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Ut invenirentur illaes,
in aqua valida terra apparuit arida,
et in mari Rubro viam sine impedimento.

Oratio (OV 340)

Domine, qui tuos non deseres sanctos,
 sed clementi bonitate conservas propitiis pios:
 quae sumus, ut sanctorum nos suffragis adiuves,
 et tua miseratione ab interitu liberes,
 et innocentiam et aequitatem
 cor nostrum doceas concupiscere,
 tuaeque pacis dulcedinem fidei sinceritate amplectere,
 et cum sanctis facito perpetuae gloriae delectatione intrare.
R/ Amen.
 Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus
 et vivit et omnia regit in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 98; L4, 227)

(Cfr. Prv. 12,15; 16,25; 21,2; 29,27; Ps 118,1)

Via iustorum recta facta est, alleluia;
 iter sanctorum preparatum est, alleluia, alleluia.
V/ Beati immaculati in via,
qui ambulant in lege Domini.
R/ Iter sanctorum preparatum est, alleluia, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Iter sanctorum preparatum est, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 341)

Domine virtutum, qui in Sion sanctus habitas;
 in eius receptaculis redemptos tuos congrega,
 et sacerdotes tuos meritis sanctificationis perorna,
 ac plenitudine sapientiae dita;
 ut, praedicamenta legis seminantes in populis,
 ut lucerna resplendeant,
 quo possint nomini tuo copiosa adquirere lucra,

per quam etiam inimicos Christi,
tui tegmine confusionis operias,
et sanctos tuos sanctificationis flore respergas.

R/ Amen.

Per ineffabilem bonitatem tuam, Deus noster,
qui vivis et cuncta dominaris in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 98)

(Is 61, 7.9.8)

Sancti, in terram suam duplia possidebunt,
laetitia sempiterna erit eis,
quia hii sunt semen cui benedixit Dominus, alleluia.

*V/ Et dabo opus eorum in veritate,
et foedus perpetuum feriam eis.*

R/ Quia hii sunt semen cui benedixit Dominus, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Quia hii sunt semen cui benedixit Dominus, alleluia.

Oratio (OV 339)

Domine, qui iustorum gaudium, tuum facis praeceptum,
quorum te laudatio obsequitur diligendo,
et diligit collaudando,
qui per legi citharam novum canticum cantant:
eorum nos, Domine, vestigiis inhaerere concede,
et in laudem tui cum iisdem tribue clamare.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psalmus L

*Antiphona (L4, 229; AL 353, 417; Br Goth 1000, 1005, 1022, 1169,
1246)*

(Cfr. Ps 50, 14)

Da nobis laetitiam salutaris tui, spiritu principali confirma
nos, Domine.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Da nobis laetitiam salutaris tui, spiritu principali confirma nos,
Domine.

Oratio (Br Goth 1000, 1169)

Redde nobis, Domine, laetitiam salutaris tui,
quam amisimus inique gerendo,
et praetermissimus negligendo.

Tu ad eam nos revoca, et eam nobis restaura,
ut peccato expulso, succedat iustitia,
et moestitia expulsa, succedat laetitia;
da, quae sumus, hanc iucunditatem,
ut pervenire mereamur ad aeternam salutem.

R/ Amen.

Adiuvante sua misericordia,
qui vivit et regnat, Deus, in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Canticum VT (L4, 230; Br Goth 868)

(Is 61, 6-9)

Antiphona (L4 230; AL 417; Br Goth 868)

(Cfr. Is 61, 7c-8b)

Laetitia sempiterna erit electis meis, dum dedero opera
eorum in veritate.

Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, * Ministri Dei
nostri dicetur vobis;
fortitudinem gentium comedetis * et in gloria earum
superbietis.

Pro confusione eorum duplici * et ignominia laudabunt
partem suam;
propterea in terra sua dupicia possidebunt, * laetitia
sempiterna erit eis.

Quia ego Dominus diligens iudicium, * odio habens rapinam
et iniquitatem;
et dabo opus eorum in veritate * et foedus perpetuum feriam
eis.

Et scietur in gentibus semen eorum * et germen eorum in
medio populorum;
omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, * quia isti sunt
semen, cui benedixit Dominus.

Gloria et honor Patri et Filio, et Spiritui Sancto, * in saecula
saeculorum. Amen.

Ant. Laetitia sempiterna erit electis meis, dum dedero opera eorum
in veritate.

*Oratio de cantico**Benedictiones**Antiphona* (L4, 231)

Servi Dei Domino benedicte, quia vos eruit ab inferis et de manu mortis liberavit vos.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Servi Dei Domino benedicte, quia vos eruit ab inferis et de manu mortis liberavit vos.

Oratio de benedictionibus

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Sonus (L4, 232)

(Ps 76, 14-15)

Quis Deus magnus sicut Deus noster;
tu es Deus qui facis mirabilia solus,
alleluia, alleluia.

V/ Honorificus in sanctis,
mirabilis in maiestatibus, faciens prodigia.

R/ Tu es Deus qui facis mirabilia solus, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Tu es Deus qui facis mirabilia solus, alleluia, alleluia.

*Psalmi laudate 148-150**Antiphona* (L4, 233)

(Ps 150, 1)

Laudate Dominum in sanctis eius, alleluia, alleluia.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Laudate Dominum in sanctis eius, alleluia, alleluia.

Lectio (Br Goth 1007)

(Sap 3,1-9)

Lectio libri Sapientiae Salomonis

R/ Deo gratias.

Iustorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, et aestimata est afflictio exitus illorum, et, quod a nobis est iter, exterminium; illi autem sunt in pace.

Etenim, si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est; et in paucis correpti, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit eos et invenit illos dignos se.

Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore visitationis illorum fulgebunt et tamquam scintillae in arundinetu discurrent; iudicabunt nationes et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum.

Qui confidunt in illo, intelligent veritatem, et fides in dilectione acquiescent illi, quoniam gratia et misericordia est sanctis eius, et visitatio electis eius.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 1285-1286; L 4, 234)

Honore sanctae Eugeniae
castis canamus laudibus;
Christo fideli iubilo,
dulci psallamus modulos.

Qui dudum sanctam Virginem
puro sacravit pectore,
mentis arcana possidens,
sacro nitore illuminat.

Fidelis Christi famula
mundi calcat iactantiam,
arctum callem arripiens,
vitam caelestem sequitur.

Castam vitam dum ageret,
coenobioque degeret,
pater effecta monachis,
matrem celabat tegmine.

Edax morbi libidinis
vexat pectus Melantiae;
pulchrum vultumque ut viderat,
amore caeco carpitur.

Illlico temnunt idola:
reseratur ecclesia:
pater in sacerdotio
martyr dicatus est Christo.

Moxque ab Alexandria
Roma revertit Claudia
cum prole; sed Eugenia
Christi sectatur atria.

Tunc caelebsque Eugenia
Prothum, Hyacinthum socios,
virtute Christi refertos,
Basillae offert famulos.

Divinis mox oraculis
corda perlustrant Virginis;
ob hoc Pompeius disput,
et Christum Deum credidit.

Pro Christo ense percutitur,
et Christo sponso iungitur;
Prothus et Hyacintus iterum
plectuntur collo gaudio.

Quem Virgo Christi pervidens
suis pellit eloquiis,
saevumque virus aspidum,
certo refutans carmine.

Illa tribunal iudicis,
furore armata daemonis,
verbis malignis appetit
castam expugnans animam.

Sed est cremata obscenitas,
sancta probatur castitas;
Praefectus, dum Eugeniam,
prolem recepit propriam.

Tetris post haec Eugenia
bis denis trusa feriis,
nescia potusque cibi
mucrone plectitur civis.

Caelis locatur spiritus
sanctorum cum agminibus:
nos annuis recursibus
hymnum Deo persolvimus.

Horum nos, Deus, meritis
ablatos nunc a vitiis,
sursum reduc a sordibus,
reformans sacrис sedibus.

Praesta Pater tu inclye,
cuncta qui regis cum Prole
Paraclito cum Spiritu
simul per omne saeculum.
Amen.

Versus (L 4, 234)

(Ps 115,6)

V/ Pretiosa in conspectu Domini.

R/ Mors sanctorum eius.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus,
ut per intercessinem sanctae Eugeniae
et Comitum eius martyrum,
remissionem peccatorum, et pacem nobis donare dignetur.
R/ Praesta aeterne, omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Compleuria (OV 337; L4, 221; Em 30, 927)

Domine Iesu Christe,
qui beatissimam Eugeniam virginem,
amoris tui desiderio aestuantem,

dum viam pergeret saeculi,
ad te, qui es via, veritas et vita, eam divertere fecisti,
quo mundialium studiorum fasce deposito,
virili habitu subcinta, femina viris praeesset,
viriliter vincens per te,
et fidei hostem et Melantiam deceptricem;
da nobis huius virginis suffragio,
ut vita nostra, a saeculi honoribus libera,
flagrante te semper desiderio quaerat,
et, mortificata in vitiis, dum amore visionis tuae exaestuat,
ad te post transitum remuneranda perveniat.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 343)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Omnipotens Iesus Christus Dominus,
qui hunc diem et partu martyris
et triumpho virginis fecit esse illustrem,
sua vos nativitate laetificet,
et beatae Eugeniae precibus a malis omnibus liberet.

R/ Amen.

Quique hodie, et a Maria est generatus
et ab Eugenia est confessus,
confiteatur nomina vestra Patri suo, vel angelis eius.

R/ Amen.

Ut, eo duce, caelesti mereamini pertingere sedem,
qua illa Christi dici meruit mater;
haec, despontari eidem Domino propter fidem.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
 qui in Trinitate, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 1288)

(Cfr. Ps 149, 1-2; Ps 95,1)

Laus Domini in ecclesia sanctorum, alleluia.
 Laetetur Israel in eo qui fecit ipsum,
 alleluia, alleluia, alleluia.
V/ Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.
R/ Laetetur Israel in eo qui fecit ipsum,
 alleluia, alleluia, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Laetetur Israel in eo qui fecit ipsum,
 alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1287)

Deus, qui sanctis tuis Eugeniae virginī,
 et eius Comitibus martyribus
 tantam gratiam in passione dedisti,
 ut insigniter apertum fidei vincerent hostem,
 quamprimum spiritualiter in se,
 bella sui corporis devicissent;
 praebe nobis auxilium de tua pietate firmissimum,
 quo muniti atque praecincti,
 et rebellantem spiritui carnem valeamus compescere,
 et nos ipsos intrepidos
 studeamus bellis spiritualibus praeparare.

R/ Amen.
 Adiuvante dextera tua, Deus noster,
 qui vivis et regnas in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ad vesperum

Oblatio luminis

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Vespertinum (L4, 216; AL 11, 98)

(Cfr. Ps 96, 11, 4; cfr. Ps 31, 11)

Lux orta est iustis, et rectis corde laetitia.

V/ Laetantur in Domino, et exultant iusti,
et gloriantur omnes recto corde.

R/ Et rectis corde laetitia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et rectis corde laetitia.

Sonus (L4, 217)

(Cfr. Ps 99,4-5)

Intrate portas Domini in confessione,
atria eius in hymnis confessionum, alleluia.

V/ Laudate nomen eius quoniam suavis est,
in aeternum misericordia eius,
et usque in saeculum saeculi veritas eius.

R/ In hymnis confessionum, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ In hymnis confessionum, alleluia.

Antiphona (L4, 218; AL 413)

(Cfr. Ps 32, 1.3)

Gaudete iusti in Domino, rectos decet collaudatio;
bene psallite ei in iubilatione.

V/ Cantate ei canticum novum.

R/ Bene psallite ei in iubilatione.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Bene psallite ei in iubilatione.

Alleluiatricum (L4, 219; AL 413)

(Cfr. Ps 31,11; cfr. Ps 112,1)

Exultate et laetamini in Domino,
gaudete iusti, alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum.

R/ Gaudete iusti, alleluia, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Gaudete iusti, alleluia, alleluia, alleluia.

(*Quamquam in traditione A pro vespris assignetur hymnus: "Astantes pariter", tamen, quia nimis longum est (35 strophae), adhibemus hymnum pro officio matutino in traditione A et B)*

Hymnus (Br Goth 1285-1286; L 4, 234)

Honore sanctae Eugeniae
castis canamus laudibus;
Christo fideli iubilo,
dulci psallamus modulos.

Qui dudum sanctam Virginem
puro sacravit pectore,
mentis arcana possidens,
sacro nitore illuminat.

Fidelis Christi famula
mundi calcat iactantiam,
arctum callem arripiens,
vitam caelestem sequitur.

Castam vitam dum ageret,
coenobioque degeret,
pater effecta monachis,
matrem celabat tegmine.

Edax morbi libidinis
vexat pectus Melantiae;
pulchrum vultumque ut viderat,
amore caeco carpitur.

Quem Virgo Christi pervidens
suis pellit eloquiis,
saevumque virus aspidum,
certo refutans carmine.

Illico temnunt idola:
reseratur ecclesia:
pater in sacerdotio
martyr dicatus est Christo.

Moxque ab Alexandria
Roma revertit Claudia
cum prole; sed Eugenia
Christi sectatur atria.

Tunc caelebsque Eugenia
Prothum, Hyacinthum socios,
virtute Christi refertos,
Basillae offert famulos.

Divinis mox oraculis
corda perlustrant Virginis;
ob hoc Pompeius disput,
et Christum Deum credidit.

Pro Christo ense percutitur,
et Christo sponso iungitur;
Prothus et Hyacinthus iterum
plectuntur collo gaudio.

Tetris post haec Eugenia
bis denis trusa feriis,
nescia potusque cibi
mucrone plectitur civis.

Illa tribunal iudicis,
furore armata daemonis,
verbis malignis appetit
castam expugnans animam.

Sed est cremata obscenitas,
sancta probatur castitas;
Praefectus, dum Eugeniam,
prolem recepit propriam.

Caelis locatur spiritus
sanctorum cum agminibus:
nos annuis recursibus
hymnum Deo persolvimus.

Horum nos, Deus, meritis
ablatos nunc a vitiis,
sursum reduc a sordibus,
reformans sacrис sedibus.

Praesta Pater tu inclyte,
cuncta qui regis cum Prole
Paraclito cum Spiritu
simul per omne saeculum.
Amen.

Versus (L 4, 220)

(Sap 3,1)

V/ Iustorum animae in manu Dei sunt.
R/ Et non tanget illos tormentum mortis.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus,
ut per intercessionem sanctae Eugeniae,
et Comitum eius martyrum,
remissionem peccatorum, et pacem nobis donare dignetur.

R/ Praesta aeterne, omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Compleuria (OV 337; L4, 221; Em 30, 927)

Domine Iesu Christe,
qui beatissimam Eugeniam virginem,
amoris tui desiderio aestuantem,
dum viam pergeret saeculi,
ad te, qui es via, veritas et vita, eam divertere fecisti,
quo mundialium studiorum fasce deposito,
virili habitu subcinta, femina viris praeesset,
viriliter vincens per te,
et fidei hostem et Melantium deceptricem;
da nobis huius virginis suffragio,

ut vita nostra, a saeculi honoribus libera,
 flagrante te semper desiderio quaerat,
 et, mortificata in vitiis, dum amore visionis tuae exaestuat,
 ad te post transitum remuneranda perveniat.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 338; L4, 222; Em 30, 928)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Christus Dominus,
 qui pergenti Eugeniae salutaris adfuit via,
 viarum vestrarum studia in bono convertat.

R/ Amen.

Et qui per illam,
 suadentis Melantiae depulit libidinosa consilia,
 per eam in vos formet donorum spiritualium incrementa.

R/ Amen.

Quo exemplo eius vigore castitatis adcinti,
 nec hic deterreamini insidiis adversantium,
 nec post contristemini de dolorum suppliciis futurorum.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
 qui in Trinitate, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (AL 414; L4, 223)

(Ps 118, 1)

Via iustorum recta facta est, alleluia;
 iter sanctorum praeparatum est, alleluia, alleluia.

V/ Beati inmaculati in via,
qui ambulant in lege Domini.

R/ Iter sanctorum praeparatum est, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Iter sanctorum praeparatum est, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1287)

Deus, qui sanctis tuis Eugeniae virginis,
et eius Comitibus martyribus
tantam gratiam in passione dedisti,
ut insigniter apertum fidei vincerent hostem,
quamprimum spiritualiter in se,
bella sui corporis devicissent;
praebe nobis auxilium de tua pietate firmissimum,
quo muniti atque praecincti,
et rebellantem spiritui carnem valeamus compescere,
et nos ipsos intrepidos
studeamus bellis spiritualibus praeparare.

R/ Amen.

Adiuvante dextera tua, Deus noster,
qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Die 28 decembris
Officium in diem Sancti Iacobi fratris Domini, Apostoli

Festivitas

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (Br Goth 88, 237)

(Cfr . Ps 3,4)

Gloria mea, Deus meus, et exaltans caput meum.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Gloria mea, Deus meus, et exaltans caput meum.

Collecta de psalmo III

(Ut in ordinario in officio festivo)

Missa

Antiphona (AL 99; L4, 264)

(Prv 10, 29-30, 3, 35a; 11,28)

Fortitudo simplicis via Domini,
iustus in aeternum non commovebitur,
gloriam sapientes possidebunt;
iustus autem quasi virens folium germinabit.

V/ In aeternum servabo illi misericordia mea,
et testamentum meum fidele ipsi.

R/ Iustus autem quasi virens folium germinabit.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Iustus autem quasi virens folium germinabit.

Oratio (L4, 265; L5, 757)

Fortissime Deus,
qui natura simplex trinus extas et unus;
qui sanctum tuum apostolum Iacobum
a semitis tuis in nullo passus es effici devium:
praesta nobis huius martyris merito
in tuis praeceptis parilem habere praemium,
quatenus ut folium tua revirescamus in atria,
et ad gloriam sapientes convolemus aetheream,
et cum hoc Apostolo praemia consequamur aeterna.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 99; L4, 266)

(Ps 36, 30-31.25)

Os iusti meditabitur sapientia,
et lingua eius loquetur iudicium;
lex Dei eius in corde ipsius
et non supplantabuntur gressus eius.

*V/ Iunior fui et senui, et non vidi iustum derelictum,
nec semen eius egens panem.*

*R/ Lex Dei eius in corde ipsius
et non supplantabuntur gressus eius.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Lex Dei eius in corde ipsius
et non supplantabuntur gressus eius.*

Oratio (L4, 267; L5, 759)

Patris sapientia, Christe Dei Filius,
cuius cognitio incorruptam condonat vitam,
et cuius nescientia aeternam subrogat poenam;
largire nobis tui apostoli Iacobi interventu
assiduo te semper ruminare desiderii voto,
et legem tuam meditare in facto.

Ut explosis contagionum sirenis
et perversorum operum incrementis,
gressus nostri numquam supplantentur in malis.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 100; L4, 268)

(Cfr. Ct 5,13; cfr. Sir 24,27; Ps 111,2)

De ore iusti procedunt mella, alleluia;
dulcedo mellis est lingua eius, alleluia;
favum distillant labia eius, alleluia, alleluia.

*V/ Potens in terra erit semen eius,
generatio rectorum benedicetur.*

R/ Favum distillant labia eius, alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Favum distillant labia eius, alleluia, alleluia.

Oratio (L4, 269; L5, 761)

Christe, unici Patris, dilecta proles,
qui de ore Ingeniti genitus procedens,
eius cognitionem per te nos habere doces,
quia vere nemo novit Patrem, nisi cui tu volueris mostrare:
da nobis iusti tui Iacobi suavitatem haurire supernam.

Da ut eius os interminanter pro nobis a te reseretur,
cuius erupuerunt tui in laude labia manantia mella.
Ut tuum eloquium, quod infastidenter extat nullum,
nos faciat ad perenne pervenire convivium.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi, Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (L4, 270; AL 388; Em 30, 939)

(Cfr. Ps 20,4)

Hic est vir qui servavit mandata mea,
dicit Dominus, et custodivit ea;
ideo accipiet coronam de lapidibus pretiosis ornatam.

V/ Homo iste in vita sua multa fecit bona,
et post mortem laudabilia opera eius.

R/ Et ideo accipiet coronam de lapidibus pretiosis ornatam.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et ideo accipiet coronam de lapidibus pretiosis ornatam.

Oratio (Br Goth 138)

Exultans plebs tua, Domine,
in hoc festo Iacobi tui Apostoli
summis te flagitat precibus idem,
ut sicut ab omnibus cognominatus est iustus,
itaque nos appellari mereamur cultores iustitiae,
et misericordiae sectatores.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psalmus L

Antiphona (L4, 271, 314, 512; AL 411, 420; Em 30, 275, 940, 1486; Br
Goth 1270)

(Cfr. Ps 50, 16)

Laudabit lingua mea iusticias tuas, Deus meus.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Laudabit lingua mea iusticias tuas, Deus meus.

Canticum VT (Br Goth 1014-1015)

(Eccli 51)

Antiphona (AL 420; L4, 272)

(Is 42,1)

Ecce servus meus, suscipiam illum, electus meus dicit
Dominus, complacui sibi in illo anima mea.

“Confitebor tibi, Domine rex; * et collaudabo te Deum
salvatorem meum
Confitebor nomini tuo, * quoniam adiutor et protector factus
es mihi
et liberasti corpus meum a perditione, * a laqueo linguae
iniquae
et a labiis operantium mendacium, * et in conspectu
insurgentium factus es mihi adiutor.
Et liberasti me, + secundum magnitudinem misericordiae et
nominis tui, * a laqueis praeparatis ad escam,
de manibus quaerentium animam meam * et de multis
tribulationibus, quae circumdederunt me,
a pressura flammæ, quae circumdedit me, * et de medio
ignis, ubi non sum aestuatus;
de altitudine ventris inferni + et a lingua coinquinata et a
verbo mendacii, * a iaculo linguae iniustæ.
Appropinquavit usque ad mortem anima mea, * et vita mea
appropinquans erat in inferno deorsum.
Circumdederunt me undique, et non erat qui adiuvaret; *
respiciens eram ad aiutorium hominum, et non erat.
Memoratus autem sum misericordiae tuae, Domine, * et
operationis tuae, quae a saeculo est,
quoniam eruis sustinentes te, Domine, * et liberas eos de
manibus iniquorum.
Exaltavi de terra supplicationem meam * et pro morte
defluente deprecatus sum.
Invocavi Dominum: “Pater meus es tu, + ne derelinquas me in die
tribulationis meae * et in tempore superborum sine adiutorio.
Laudabo nomen tuum assidue * et collaudabo illud in
confessione”.
Et exaudita est oratio mea. + Et liberasti me de perditione *
et eripuisti me de tempore iniquo.
Propterea confitebor et laudem dicam tibi * et benedicam
nomini Domini.
Cum adhuc iunior essem, priusquam oberrarem, * quaesivi
sapientiam palam in oratione mea;

ante templum postulabam pro illa + et usque in novissimis
inquiram eam, * et effloruit tamquam praecox uva.
Laetatum est cor meum in ea, + ambulavit pes meus iter
rectum; * a iuventute mea investigabam eam.
Inclinavi modice aurem meam et excepti illam * et multam
inveni mihi metipsi sapientiam
et multum profeci in ea: * danti mihi sapientiam dabo gloriam.
Consiliatus sum enim, ut facerem illam; * et quaesivi bonum
et non confundar.
Collectata est anima mea in illa, * et in faciendo legem
diligens fui.
Manus meas extendi in altum * et incognoscibilia eius
intellexi.
Animam meam direxi ad illam * et in purificatione inveni eam.
Possedi cum ipsa cor ab initio; * propter hoc non
derelinquar.
Venter meus conturbatus est quaerendo illam; * propterea
bonam possedi possessionem.
Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, * et in ipsa
laudabo eum.
Appropiate ad me, indocti, * et congregate vos in domo
disciplinae.
Quid adhuc retardatis in his, * dum animae vestrae sitiunt
vehementer?
Aperui os meum et locutus sum: + “Comparate vobis sine
argento * et collum vestrum subiicite iugo,
et suscipiat anima vestra disciplinam: * in proximo est enim
invenire eam.
Videte oculis vestris quia modicum laboravi * et inveni mihi
multam requiem.
Assumite disciplinam in multo numero argenti * et copiosum
aurum possidete in ea.
Laetetur anima vestra in misericordia eius, * et non
confundemini in laude ipsius.
Operamini opus vestrum ante tempus, * et dabit vobis
mercedem vestram in tempore suo”.
Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto, * in saecula
saeculorum. Amen.

Ant. Ecce servus meus, suscipiam illum, electus meus dicit Dominus,
complacui sibi in illo anima mea.

Oratio de Canticos

*Benedictiones**Antiphona* (AL 420; L4, 273; Em 30, 942)

(Eccli 11, 24)

Benedictio Domini in mercedem iusti festinat.

*(Ut in ordinario in officio festivo)**Ant.* Benedictio Domini in mercedem iusti festinat.*Oratio de benedictionibus**(Ut in ordinario in officio festivo)**Sonus* (AL 34; L4, 274; Em 30, 943, 278)

(Eccli 51,4; Ps 138, 5)

Exaudisti me, Deus, et liberasti me, alleluia, alleluia.

V/ Tu formasti me et posuisti super me manum tuam.

R/ Et liberasti me, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et liberasti me, alleluia, alleluia.

*Psalmi laudate 148-150**Antiphona* (Br Goth 992, 996, 998, 1002, 1007, 1010, 1028, 1032,
1062, 1072, 1105, 1114-1115, 1118, 1122-1123, 1127, 1132, 1137,
1142, 1147, 1151, 1157, 1204, 1217, 1264, 1283, 1298)

(Ps 148, 1)

Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis,
alleluia, alleluia.*(Ut in ordinario in officio festivo)**Ant.* Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis,
alleluia, alleluia.*Lectio* (Br Goth 992-993)

(Sap 18, 20-24)

Lectio libri Sapientiae Salomonis.

R/ Deo gratias.

Tetigit autem et iustos tentatio mortis, et interitus in eremo
factus est multitudinis; sed non diu permansit ira tua.Properans enim homo sine querela propugnavit, proferens
servitutis suae scutum: orationem et per incensum deprecationem;
restitutus irae et finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus
est famulus.

Vicit autem iram, non in virtute corporis, nec armaturae potentia, sed verbo illum, qui se vexabat, subiecit, iuramenta parentum et testamentum commemorans.

Cum enim iam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit et amputavit impetum et divisit illam, quae ad vivos ducebat, viam.

In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, et parentum magnalia in quattuor ordinum lapidum sculptura, et magnificentia tua in diademate capitum illius.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 136-137; L4, 260)

Clara Sanctorum una Ierusalem
mater collauda: nimium laetare;
filii multi quia sunt desertae,
quam virum habens.

Ad hoc impulsus solo, et projectus
stat, sed illaesus memorat, quod
prius
moxque fullonum unus fuste
sacrum
cerebrum quatit.

Iacobus, ob hoc, tuus, dictus iustus
sacram concendit sacer, et
sacerdos
intrat Sanctorum solus hic in
Sancta,
Virgo quod extat.

Poscimus maesti, pie et benigne
martyr excels, plebique connexe:
plebe convulsae durum iugum
pelle,
bella remove.

Carne hic frater Domini vocatus,
gratia fretus et apostolatu
imbuit plebes, pia custodire
dogmata Christi.

Sit salus aegris, sit quies defunctis:
sit vigor fessis, sit remota pestis;
vitiis pulsis, miseris sit caelis
aditus patens.

Ardua post hinc positus in arce
a malis: Christum, ut neget
venisse:
confutat dogma disserte impiorum
Pharisaeorum.

Sit Deo laus, Patri atque Nato,
triplici honor nimium cum Sancto,
nomini trino, Deitati soli
sidera clament. Amen.

Versus (L4, 260)

(Ps 111, 3)

V/ Gloria et divitiae in domo eius.

R/ Et iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus:
ut per intercessionem sancti Iacobi fratris Domini,
remissionem peccatorum, et pacem nobis donare dignetur.
R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Compleuria (Br Goth 139; L4, 261)

Iuste Domine,
a quo iustis merito iustitia teneri conceditur,
qui per te iuste vivere cupiunt,
da iustitiam, quam retinent mente, ostendant in opere,
ex quo sanctum Apostolum tuum Iacobum
recte iustum ab omnibus cognoscimus vocitatum;
cuius iusta eloquia reproborum confutavit malitia,
cum illi cum fallacia nequitiae suae,
et iustum appellarent, et iniusti iam docere optarent;
ob hoc quippe eum in sublimi loco arcessitum statuerunt,
ut longe lateque eius praedicatio resonaret,
quem vera loquentem recipere nolunt,
sed mox praecipitatum atque decoratum passione efficiunt:
fac nos eius meritis,
et iustitiam tenere in mente, et eam praedicare libenter;
ut sicut ille operando iustitiam
iustificatus ad te pervenit per martyrii gloriam,
ita nos eius suffragiis,
per dignam paenitentiam pervenire mereamur
ad consequendam indulgentiam.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri,
qui est benedictus et vivit et omnia regit
in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (Br Goth 137)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Beatissimi Iacobi apostoli et martyris sui
nos Dominus intercessione custodiat.

R/ Amen.

Sperantium in se, necessitates placatus intendat.

R/ Amen.

Ut eius secuti vestigia,
ad caelestia regna pergere valeamus.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri,
qui vivit et omnia regit in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 137)

(Ps 91, 13; Ps 111, 2)

Iustus ut palma florebit, alleluia;
sicut cedrus Libani multiplicabitur,
alleluia, alleluia.

V/ Potens in terra erit semen eius,
generatio rectorum benedicetur.

R/ Sicut cedrus Libani multiplicabitur,
alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Sicut cedrus Libani multiplicabitur,
alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 138)

Homo iste glorificatus, Christus exultat,
qui cognominari promeruit iustus,
ut tua promissa iustis praemia populis praedicaret;
huius in honore acclives exposcimus flebili oratione,
ut preces nostras suscipere digneris mitis atque placabilis,
nosque tuis facias semper inhaerere mandatis.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi, Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

*Conclusio**(Ut in ordinario in officio festivo)***Ad vesperum***Oblatio luminis**(Ut in ordinario in officio festivo)**Vespertinum* (Br Goth 994; L4, 256)

(Ps 8,5; Ps 20,6)

Gloria et honore coronasti eum, Domine.

V/ Gloriam et magnum decorem imposuisti super eum.

R/ Coronasti eum, Domine.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Coronasti eum, Domine.

Sonus (AL 403; L4, 257)

(Ps 111,7)

Alleluia, in memoria aeterna erit iustus,
ab auditu malo non timebit, alleluia, alleluia.

V/ Paratum cor eius sperare in Domino, alleluia.

R/ Ab auditu malo non timebit, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Ab auditu malo non timebit, alleluia, alleluia.

Antiphona (AL 388; L4,258)

(Ps 20,4; Ps 1,1)

Posuisti, Domine,
super caput eius coronam de lapide pretioso,
gloriam et magnum decorem super eum imponens.
V/ Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum,
et in via peccatorum non stetit,
et in catedra pestilentiae non sedit.

R/ Gloriam et magnum decorem super eum imponens.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Gloriam et magnum decorem super eum imponens.

Alleluiaiticum (AL 388; L4,259)

(Ps 63,3; Ps 111,5)

Protextisti eum, Domine, a conventu malignantium,
 et a multitudine operantium iniquitatem, alleluia, alleluia.
V/ Iucundus homo qui miseretur et commodat,
 disponit sermones suos in iudicio,
 quia in aeternum non commovebitur.
R/ Et a multitudine operantium iniquitatem, alleluia, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Et a multitudine operantium iniquitatem, alleluia, alleluia.

Hymnus (Em 30, 944; Hysu Goth 184)

Clarum nobis, Christe, tui Iacobi apostoli imminet festum diei passionis inclitum, qui tibi frater affinis exstitit sanctissimus.	Protinus feroci mente unus sancto capiti pertica fullonis ausu percussit nefario, sicque sanctus membra telo, spiritum fudit caelo.
Sic sancta sanctorum dignus pontifex aggreditur, corporis tui sacrator sanguinis et laticis, pro multorum interpellans salute fidelium.	Per quem te, Christe, enixe exoramus cernui, facinus remitte cunctis diraque facinora, omnibus largire clemens consuetam gratiam.
Qui tuo flagrans amore sancte vivens iugiter, cognomento Iustus ob hoc inditus vocabulo praebuit cunctis exemplum christiani dogmatis.	Ut vitae feliciori perfruamur commoda, carnis nostrae superantes vitiorum noxia, spiritu perficientes quaeque sunt vitalia.
Tunc pharisaeorum zelo fidem tui nominis ex alto praecipitatus constans cunctis praedicat, normam vitae veritatis ad sequendam gratiam.	Praesta nunc, Christe, benignus postulata omnibus, apicem tenens cum Patre Sanctoque Spiritu, unus Deus saeculorum regnans in perpetuum. Amen.

Versus (L4, 260)

(Ps 111, 3)

V/ Gloria et divitiae in domo eius.

R/ Et iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.

Redemptorem mundi Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus:

ut per intercessionem sancti Iacobi fratris Domini,
remissionem peccatorum, et pacem nobis donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison.

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Completuria (Br Goth 139; L4, 261)

Iuste Domine,

a quo iustis merito iustitia teneri conceditur,
qui per te iuste vivere cupiunt,
da iustitiam, quam retinent mente, ostendant in opere,
ex quo sanctum Apostolum tuum Iacobum
recte iustum ab omnibus cognoscimus vocatum;
cuius iusta eloquia reproborum confutavit malitia,
cum illi fallacia nequitiae suae,
et iustum appellarent, et iniusti iam docere optarent;
ob hoc quippe eum in sublimi loco arcessitum statuerunt,
ut longe lateque eius praedicatio resonaret,
quem vera loquentem recipere nolunt,
sed mox praecipitatum atque decoratum passione efficiunt:
fac nos eius meritis,
et iustitiam tenere in mente, et eam praedicare libenter;
ut sicut ille operando iustitiam
iustificatus ad te pervenit per martyrii gloriam,
ita nos eius suffragiis,
per dignam paenitentiam pervenire mereamur
ad consequendam indulgentiam.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri,
qui est benedictus et vivit et omnia regit
in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (L4, 262)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Christus Dominus, qui Iacobum apostolum suum
et doctorem evehit exaltatum, et martyrem effecit coronatum,
eius suffragio purificet vos ab omni peccato.

R/ Amen.

Et qui illum apostolico dogmate fecit esse conspicuum,
vos faciat aeternae vitae invenire subsidium.

R/ Amen.

Ut post transitum, eius faciat vos obtinere consortium,
cui devoto animo laudis exhibetis obsequium.

R/ Amen.

Qualiter cum apostolo hoc,
quem ipse usque ad mortem confessus est Christum,
mereamini effici perpetim gloriosi.

R/ Amen.

Ipsa praestante, qui cum Deo Patre vivit et regnat
in unitate Spiritus Sancti in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 137)

(Ps 91, 13; Ps 111, 2)

Iustus ut palma florebit, alleluia;
sicut cedrus Libani multiplicabitur,
alleluia, alleluia.

V/ Potens in terra erit semen eius,
generatio rectorum benedicetur.

R/ Sicut cedrus Libani multiplicabitur,
alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Sicut cedrus Libani multiplicabitur,
alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 138)

Homo iste glorificatus, Christus exultat,
qui cognominari promeruit iustus,
ut tua promissa iustis praemia populis praedicaret;
huius in honore acclives exposcimus flebili oratione,
ut preces nostras suscipere digneris mitis atque placabilis,
nosque tuis facias semper inhaerere mandatis.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi, Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Die 29 decembris
Officium in diem Sancti Ioannis Apostoli et Evangelistae
Festivitas

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (Br Goth 88, 237)

(Cfr. Ps 3,4)

Gloria mea, Deus meus, et exaltans caput meum.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Gloria mea, Deus meus, et exaltans caput meum.

Collecta de psalmo III

(Ut in ordinario in officio festivo)

Missa I

Antiphona (AL 101; L4, 298; T35.7, 250)

(Cfr. Sir 48,5; Ps 40,2)

Vir iste sustulit mortuos ab inferis de sorte mortis,
 in verbo Domini Dei sui.

V/ Beatus qui intellegit super egenum et pauperem,
 in die mala liberabit eum Dominus.

R/ In verbo Domini Dei sui.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ In verbo Domini Dei sui.

Oratio (OV 346; L4, 299; T35.7, 251; Br Goth 129)

Christe Dei Filius, qui virginali discipulo
 virginitatis praemia etiam in hac vita posito contulisti,
 ut de sorte mortis posset suscitari morientia membra,
 qui in membris suis,
 mortiferae libidinis dominari non passus est incentiva:
 adesto nobis precibus eius;
 ut post lapsus, quibus lascive in hac vita decidimus,
 mundatis ad te cordibus et corporibus accedamus.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 101; L4, 300; T35.7, 252)
(Sap 10,13-14; Ps 88,22)

Iustum in vinculis non dereliquit Dominus,
sed descendet cum illo in fovea,
donec offerret illi sceptrum regni.

V/ Manus enim mea auxiliabitur ei,
et brachium meum confirmabit eum.

R/ Donec offerret illi sceptrum regni.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Donec offerret illi sceptrum regni.

Oratio (OV 347; L4, 301; Em 30, 950; T35.7, 253; Br Goth 129)

Domine Iesu Christe,
qui beatissimum Ioannem apostolum tuum,
nec in vinculis exilii deseris,
nec in effosa fovea derelinquis:
annue nobis precibus eius;
ut ita nos tua semper pietas foveat,
qualiter et hic, et in aeternum, te protegente,
sceptrum nos sempiterni regni usquequaque possideat.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
qui in Trinitate unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 101; L4, 302; Em 30, 951; T35.7, 254)
(Ps 111,1)

Dilectus a Domino,
testimonium perhibuit in conspectu Dei et Christi,
et post haec dormivit;
et notum fecit omnibus, alleluia,
finem vitae suae, alleluia.

V/ Beatus vir qui timet Dominum,
in mandatis eius cupit nimis.

*R/ Et notum fecit omnibus, alleluia,
finem vitae suae, alleluia.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Et notum fecit omnibus, alleluia,
finem vitae suae, alleluia.*

Oratio (OV 348; L4, 303; Em 30, 952; T35.7, 255; Br Goth 129-130)

Dilectus a te, Domine Iesu Christe,
ineffabile tibi testimonium discipulus perhibuit,
dum quod admiranter tuo de pectore sumpsit,
mirifice eructare promeruit:
principium ergo, quod ille et mistica fide cognovit,
et verbis mysticis exaravit,
esto in ore nostro ad complementum virtutis,
ad effectum pie operationis,
ut tibi sine fine iungamur,
cuius potentiam magnifice confitemur.

R/ Amen.

Auxiliante sua misericordia, qui vivit cum Deo Patre,
et regnat cum Spiritu Sancto, unus Deus,
in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 102; L4, 304; Em 30, 953; T35.7, 256)

(Io 14, 21.23; cfr. Is 42,1)

Qui diligit me, diligitur a Patre meo,
et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum, alleluia.

*V/ Et Pater diligit eum, et ad eum veniemus,
et mansionem apud eum faciemus.*

R/ Et manifestabo ei me ipsum, alleluia.

*V/ Auxiliabo puero meo, dicit Dominus,
quoniam electus est,
et suscipiet illum anima mea.*

R/ Et manifestabo ei me ipsum, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Et manifestabo ei me ipsum, alleluia.

Oratio (L4, 305; Em 30, 954)

Vera Dei sapientia Patris, Christe Iesu,
Deus noster et Rex noster,
qui diligentes te diligis,
et dilectionem paternam eis dare compromittis;

veni sicut compromissisti ad nos cum Patre tuo,
qui numquam dees a sinu eius,
et manifesta te ipsum nobis,
et apud nos dignare facere mansionem.
Et qui dilectum apostolum et evangelistam tuum Iohannem
plus a caeteris dilexisti discipulis,
et sic eum voluisti manere incorruptum
usque dum iterum venias in gloria per ignem
iudicare saeculum,
libera nos a carnali fetore libitum,
ut tuum sine confusione in illa die
illaesi cernere mereamur aspectum.
R/ Amen.
Ipsa praestante, qui vivit cum Deo Patre et Spiritu Sancto
in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Missa II

Antiphona (AL 102; L4, 306; Em 30, 955)
(Ps 4,7-8)

Invitatus ad convivium tuum, venio gratias agens
quia me dignatus es ad tuas epulas invitare,
sciens quod ex toto corde meo desiderabam te.
V/ Dedisti laetitiam in corde meo,
a tempore frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt.
R/ Gratias agens quia me dignatus es ad tuas epulas invitare,
sciens quod ex toto corde meo desiderabam te.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Gratias agens quia me dignatus es ad tuas epulas invitare,
sciens quod ex toto corde meo desiderabam te.

Oratio (Em 30, 956; L4, 307)

Invitatus ad tuum, Christe, convivium,
orans properat ad te dilectus Iohannes,
ille tuus discipulus gratias agens,
quia pro magno laborum suorum cursu
ad tuas eum epulas provehis arcessitum:
huius proinde precibus quaesumus,
ut nos qui tali indigno sumus merito,

assiduo eius tueamur praesidio,
 et quia ille ex toto corde te diligendo
 iam tecum obtinet regnum,
 praestet nobis suo glorioso obtentu
 apud te invenire veniam omnium peccatorum nostrorum.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 102; L4, 308; Em 30, 957)

(Ps 8,2; Ps 72,24)

Vox tua melliflua suavitate plena est,
 et allocutio tua incomparabilis eloquiis angelorum,
 vidi faciem tuam,
 et quasi de sepultura suscitatus sum, Deus meus.

V/ Domine dominus noster,
 quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

R/ Et allocutio tua incomparabilis eloquiis angelorum,
 vidi faciem tuam,
 et quasi de sepultura suscitatus sum, Deus meus.

V/ Tenuisti manum dexteram meam,
 et in voluntate tua deduxisti me,
 et cum gloria suscepisti me.

R/ Et allocutio tua incomparabilis eloquiis angelorum,
 vidi faciem tuam,
 et quasi de sepultura suscitatus sum, Deus meus.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et allocutio tua incomparabilis eloquiis angelorum,
 vidi faciem tuam,
 et quasi de sepultura suscitatus sum, Deus meus.

Oratio (Em 30, 958; L4, 309)

Verbum Patris ingeniti, unigenite Christe,
 qui eras in principio apud Patrem,
 et tempora anteceditur et temporum creator existens,
 quem inter caeteros et super caeteros a te dilectus discipulus
 et agnoscere meruit et praedicare non destituit,
 qui se meliflua vocis tuae vocatione arcessitum
 et mundana reliquisse per te se congaudet,

et supremo vitae termino,
 iam certus de retributionis beato gaudio
 ad tuae vocis invitamentum alacer properat exultando;
 praesta quae sumus suo sufragio,
 ut vocem illam sanctae vocationis,
 quam ille audire meruit, audiamus,
 et retributionis gloriam, quamvis immerito,
 tuo tamen munere consequi mereamur.
 Et sic, vana huius saeculi funditus relinquamus,
 ut tecum iugiter et sine fine regnemus.

R/ Amen.

Auxiliante sua misericordia,
 qui vivit cum Deo Patre, et regnat cum Spiritu Sancto,
 unus Deus, in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluia ticum (AL 102; L4, 310; Em 30, 359)
 (Ps 118,65)

Posuisti in ore meo verbum veritatis tuae, alleluia;
 commemorans me multitudinis virtutum tuarum, alleluia;
 quae audivi ex ore tuo auribus meis, alleluia, alleluia.

V/ Iucunditatem fecisti cum servo tuo, Domine,
secundum verbum tuum.

R/ Quae audivi ex ore tuo auribus meis, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Quae audivi ex ore tuo auribus meis, alleluia, alleluia.

Oratio (L4, 311; Em 30, 960)

In ore apostoli tui Iohannis, Christe Domine,
 verbum veritatis ponens,
 commemorare eum fecisti testimonia virtutum tuarum,
 quae ex ore tuo non solum aure corporis,
 sed aure melius percepereat cordis.
 Ut tuo recumbens in pectore secreta,
 mysteriorum tuorum arcana hauriens mente,
 evangelica praedicatione exinde illuminaret gentes.
 Praesta nobis, quae sumus, eius obtentu,
 et in perquirendo ea quae ille de te praedicavit esse devotos,
 et in operando, manere strenuos,
 ut ob hoc te, post transitum, retributorem habeamus piissimum.
R/ Amen.

Ipsa auxiliante Domino, qui cum Patre et Spiritu Sancto,
unus Deus, gloriatur in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 102; L4, 312; Em 30, 961)

(Cfr. Ps 118, 116;cfr. Mt 16,16)

Suscipe me, Domine, ut cum fratribus meis sim,
cum quibus veniens invitasti me.

Aperi mihi pulsanti ianuam vitae
et perduc me ad convivium epularum tuarum
ubi epulantur tecum omnes amici tui, alleluia, alleluia.

V/ Tu es enim Christus filius Dei vivi,
qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas.

R/ Aperi mihi pulsanti ianuam vitae
et perduc me ad convivium epularum tuarum
ubi epulantur tecum omnes amici tui, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Aperi mihi pulsanti ianuam vitae
et perduc me ad convivium epularum tuarum
ubi epulantur tecum omnes amici tui, alleluia, alleluia.

Oratio (L4, 313)

Suscipe, Domine, a nobis sacrificium matutinum
in honorem apostoli tui Iohannis,
oris nostri laudis iubilo delibatum.

Ut cum eo tartareum evadentes supplicium,
meritis eius caelibem adipiscamus municipatum.

R/ Amen.

Praestante ipsius misericordia Dei nostri,
qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et gloriatur in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psalmus L

Antiphona (AL 420, 34, 411; Em 30, 275, 940, 1486; T35.6, 570, 783;
T35.7, 257)

(Ps 50,16)

Laudabit lingua mea iusticias tuas, Domine.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Laudabit lingua mea iusticias tuas, Domine.

Oratio (Br Goth 129; T35.7, 258)

Laudet te, Domine, lingua nostra anuntiando iustitias tuas,
 et exultent labia nostra praeconio veritatis,
 ut non dissolvantur vaniloquio falsitatis;
 ut qui tibi confitendo, remissis criminibus, in te exultamus,
 et in congregacione iustorum sacro agmine decantantes,
 vitae beatae efficiamur heredes.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus,
 et vivit et omnia regit in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Canticum VT (Br Goth 869-870; L4, 315b; MPs 167-168)

(Eccli 51,18-38)

Antiphona (AL 420; L4, 315; MPs 167; Em 30, 963; Br Goth 869)

(Eccli 51,23-24)

Danti mihi sapientiam dabo gloriam, consiliatus sum eum ut
 facerem, illam zelatus sum bonum ut non confundar.

“Cum adhuc iunior essem, priusquam oberrarem, * quaesivi
 sapientiam palam in oratione mea;
 ante templum postulabam pro illa + et usque in novissimis
 inquiram eam, * et effloruit tamquam praecox uva.
 Laetatum est cor meum in ea, + ambulavit pes meus iter
 rectum; * a iuventute mea investigabam eam.
 Inclinavi modice aurem meam et excepi illam * et multam
 inveni mihi metipsi sapientiam
 et multum profeci in ea: * danti mihi sapientiam dabo
 gloriam.
 Consiliatus sum enim, ut facerem illam; * et quaesivi bonum
 et non confundar.
 Collectata est anima mea in illa, * et in faciendo legem
 diligens fui.
 Manus meas extendi in altum * et incognoscibilia eius
 intellexi.
 Animam direxi ad illam * et in purificatione inveni eam.
 Possedi cum ipsa cor ab initio; * propter hoc non
 derelinquar.
 Venter meus conturbatus est quaerendo illam; * propterea
 bonam possedi possessionem.
 Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, * et in ipsa
 laudabo eum.

Appropiate ad me, indocti, * et congregate vos in domo disciplinae.

Quid adhuc retardatis in his, * dum animae vestrae sitiunt vehementer?

Aperui os meum et locutus sum: + “Comparate vobis sine argento * et collum vestrum subicite iugo, et suscipiat anima vestra disciplinam: * in proximo est enim invenire eam.

Videte oculis vestris quia modicum laboravi * et inveni mihi multam requiem.

Assumite disciplinam in multo numero argenti * et copiosum aurum possidete in ea.

Laetetur anima vestra in misericordia eius, * et non confundemini in laude ipsius.

Operamini opus vestrum ante tempus, * et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo”.

Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto, * in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Danti mihi sapientiam dabo gloriam, consiliatus sum eum ut facerem, illam zelatus sum bonum ut non confundar.

Oratio de cantico

Benedictiones

Antiphona (L4, 316)

Anima iusti sedes est sapientiae.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Anima iusti sedes est sapientiae.

Oratio de benedictionibus

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Sonus (L4, 317; Em 30, 965, 278; T35.7, 262)

(Ps 16,6; Eccli 51,4; Ps 138,5)

Exaudisti me, Deus, et liberasti me, alleluia, alleluia.

V/ Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

R/ Et liberasti me, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto, in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et liberasti me, alleluia, alleluia.

Psalmi laudate 148-150

Antiphona (Br Goth 61, 64-65, 68, 73, 192, 205, 296, 413; L4, 318)
(Ps 150,1)

Laudate Dominum in sanctis eius, alleluia, alleluia; laudate
eum in firmamento virtutis eius, alleluia.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Laudate Dominum in sanctis eius, alleluia, alleluia; laudate
eum in firmamento virtutis eius, alleluia.

Lectio (Br Goth 131)

(Sap 10, 10-14)

Lectio libri Sapientiae Salomonis.

R/ Deo gratias.

Haec profugum irae fratris iustum deduxit per vias rectas et
ostendit illi regnum Dei et dedit illi scientiam sanctorum; honestavit
illum in laboribus et complevit labores illius.

In avaritia circumvenientium illum affuit illi et honestum
fecit illum.

Custodivit illum ab inimicis et ab insidiantibus tutavit illum;
et post certamen forte bravum dedit illi, ut sciret quoniam omnium
potentior est pietas.

Haec venditum iustum non dereliquit, sed a peccato liberavit
eum; descenditque cum illo in foveam et in vinculis non dereliquit
illum, donec afferret illi sceptrum regni et potentiam adversus eos,
qui eum deprimebant, et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum,
et dedit illi claritatem aeternam.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 128; L4, 294; Em 30, 966; T35.7, 263)

Iste electus Ioannes diligendi
promptior,
advocatus in perennem veritatis
gratiam,
mercedem assumens honoris,
quidquid ambit, obtinet.

Ultimae praenotus horae, scindere
tunc praecipit.
Terram fossam ministris, qua
reclines irruit,
mortis et vice quievit omne vivens
saeculo.

Insula Pathmos teneri imperanter
promitur:
conspicit illic refusa caelitus
mysteria,
et profunda, quae notavit, mente
narrat ardua.

Accipit Dei Parentem in suis
praecordiis,
ut minister veritatis administret
Virgini;
quae Deum enixa, sola virgo semper
adstitit.

Iste supra pectus illud sempiterni
Numinis
corporis usu reclinis, hauriebat
intima;
spirituque indicabat veritatis
gratiam.

Ad crucem tractus Redemptor, esse
matris filium.
Dicit istum; rursus ipsam esse
matrem praecipit:
carnis unus, spiritus alter, ut
manerent filii.

Te rogamus, te precamur, sancte
Christi Apostole,
tolle pestem, aufer ulcus, et foveto
languidos:
pelle morbum, caede hostem, et
remove scandalum.

Non adurat terram ignis, aerem non
sauciét,
non refundat ultiō triste caelum
turbines,
non reclinet in ruinam orbem ira
funditus.

Decidat delictum omne; subsequatur
gratia.
Auferatur culpa tota, sit salutis
copia;
sit remota cuncta lues; augeatur
caritas.

Gloria Deo Patri sit, gloria sit Filio.
Sit Paraclito manenti semper ingens
gloria;
qui Deus vivit per omnia saecula
saeculorum. Amen.

Versus (L4, 294)
(Ps 111,2)

V/ Potens in terra erit semen eius.
R/ Generatio rectorum benedicetur.

Supplicatio (Br Goth 128)

Oremus.

Dei Patris omnipotentis misericordiam supplices imploremus,
ut nos gratia Christi sui, Domini nostri Iesu Christi,
et per intercessionem sancti Ioannis Apostoli et Evangelistae,
propitius iustificare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison.

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Compleuria (OV 349; L4, 319; Em 30, 967; T35.7, 264; Br Goth 131)

Christe, Dei Filius, qui te principium, quod ipse es,
in ore a te dilecti discipuli ita confiteri dedisti,
ut illuc cor eius ascenderet, quod nullus alius valueret;
fac nos tui munera gratia cor semper in supernis habere,
ut, exinde capientes veritatis omnimode disciplinam,
quod hic professi fuerimus ex ore,
futuro consequamur in munere.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 350; L4, 320; T35.7, 263)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Unigenitus Dei Patris Filius,
qui virtute dilecti discipuli, confractis lapides gemmasque,
ad suam fecit redire naturam,
ab omni peccatorum facinore vos immunes efficiat.

R/ Amen.

Et qui per illum mortuos suscitavit ab inferis,
eodem sufragante, vos suscitat ab omni colluvione fetoris.

R/ Amen.

Ut dilectio et gratia, qua illum praestitit virginem esse,
faciat vos de aeternis munibibus exultare.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
qui in Trinitate unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 129)

(Cfr. Is 44,4; Ps 1,3)

Germinabunt ossa tua quasi salices, alleluia;
 iuxta fluentes aquas, alleluia, alleluia.

V/ Et erit tamquam lignum quod transplantatum est.

R/ Iuxta fluentes aquas, alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Iuxta fluentes aquas, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 129)

Domine Iesu Christe,
 qui beatissimum Ioannem Apostolum tuum,
 nec in vinculis exilii deseris,
 nec in effosa fovea derelinquis,
 annue nobis precibus eius,
 ut ita nos semper pietas foveat,
 qualiter hic et in aeternum, te protegente,
 sceptrum nos sempiterni regni usquequaque possideat.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ad vesperum*Oblatio luminis*

(Ut in ordinario in officio festivo)

Vespertinum (AL 36; L4, 290; T35.7, 240)

(Ps 8,6; Ps 20, 6.5)

Gloria et honore coronasti eum, Domine.

V/ Gloriam et magnum decorum

posuisti super caput eius, Domine.

R/ Coronasti eum, Domine.

V/ Vitam petiit

et tribuisti ei longitudinem dierum, Domine.

R/ Coronasti eum, Domine.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Coronasti eum, Domine.

Sonus (AL 101; L4, 291; T35.7, 241)

(Ps 91, 13.2.3.5)

Iustus ut palma florebit,
sicut cedrus quae est in Libano multiplicabitur, alleluia.

*V/ Bonum est confiteri Domino,
et psallere nomini tuo Altissime.*

Ad anuntiandam mane misericordiam tuam,
et in operibus manuum tuarum exultabo, alleluia.

R/ Sicut cedrus quae est in Libano multiplicabitur, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Sicut cedrus quae est in Libano multiplicabitur, alleluia.

Antiphona (AL 101; L4, 292; T35.7, 243)

(Eccli 51,3; Ps 40,10)

Liberasti corpus meum ab omni pollutione;
odor tuus concupiscentias in me excitabit aeternas.

*V/ In hoc cognovi quoniam voluisti me,
quoniam non gaudebit inimicus meus super me.*

R/ Odor tuus concupiscentias in me excitabit aeternas.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Odor tuus concupiscentias in me excitabit aeternas.

Allleluiaticum (AL 101; L4, 293; T35.7, 244)

(Gn 32,30; Ps 115,7)

Vidi te, Dominum facie ad faciem,
et salva facta est anima mea, alleluia, alleluia.

V/ O Domine, ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

R/ Et salva facta est anima mea, alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Et salva facta est anima mea, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 128; L4, 294; Em 30, 966; T35.7, 263)

Iste electus Ioannes diligendi
promptior,
advocatus in perennem veritatis
gratiam,
mercedem assumens honoris,
quidquid ambit, obtinet.

Insula Pathmos teneri imperanter
promitur:
conspicit illic refusa caelitus
mysteria,
et profunda, quae notavit, mente
narrat ardua.

Accipit Dei Parentem in suis
praecordiis,
ut minister veritatis administret
Virgini;
quae Deum enixa, sola virgo
semper adstitit.

Iste supra pectus illud sempiterni
Numinis
corporis usu reclinis, hauriebat
intima;
spirituque indicabat veritatis
gratiam.

Ad crucem tractus Redemptor,
esse matris filium.
Dicit istum; rursus ipsam esse
matrem praecipit:
carnis unus, spiritus alter, ut
manerent filii.

Ultimae praenotus horae, scindere
tunc praecipit.
Terram fossam ministris, qua
reclines irruit,
mortis et vice quievit omne vivens
saeculo.

Te rogamus, te precamur, sancte
Christi Apostole,
tolle pestem, aufer ulcus, et foveto
languidos:
pelle morbum, caede hostem, et
remove scandalum.

Non adurat terram ignis, aerem
non sauciet,
non refundat ultiō triste caelum
turbines,
non reclinet in ruinam orbem ira
funditus.

Decidat delictum omne;
subsequatur gratia.
Auferatur culpa tota, sit salutis
copia;
sit remota cuncta lues; augeatur
caritas.

Gloria Deo Patri sit, gloria sit
Filio.
Sit Paraclito manenti semper
ingens gloria;
qui Deus vivit per omnia saecula
saeculorum. Amen.

Versus (L4, 294)
(Ps 111,2)

V/ Potens in terra erit semen eius.
R/ Generatio rectorum benedicetur.

Supplicatio (Br Goth 128)

Oremus.

Dei Patris omnipotentis misericordiam supplices imploremus,
ut nos gratia Christi sui, Domini nostri Iesu Christi,
et per intercessionem sancti Ioannis Apostoli et Evangelistae,
propitius iustificare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison.

R/ Christe eleison, Kyrie eleison.

Compleuria (OV 344; L4, 295; T35.7, 246; Br Goth 128)

Ineffabilia sunt, Domine, fluenta uteri tui,
quibus piae caeteris dilectus ille a te discipulus
recubans in sinu tuo satiari promeruit;
quaesumus ergo, ut mortificatis membris nostris,
tuis semper mereamur haerere vestigis,
ut intercessu huius sancti Ioannis,
ita nos ignis amoris tui concremet et assumat,
qualiter beneplacitum nos tibi in toto holocaustum efficiat.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 345; L4, 296; T35.7, 247; Br Goth 128)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Christus Dominus, qui dilectum a se discipulum
suo fecit recubari in pectore,
illaeos vos custodiat in sinu matris ecclesiae.

R/ Amen.

Et qui fluentis gratiae ex sinu suo promanantibus,
recumbantis animam abluit,
dono vos sempiterni munera iubeat consolari.

R/ Amen.

Ut, per quem discipulus hic dilectus effectus est virgo,
per eum peccatores in angelorum transmutati,
evocentur consortio.

R/ Amen.

Auxiliante sua misericordia, qui vivit cum Deo Patre,
et regnat cum Spiritu Sancto, unus Deus, in saecula
saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (AL 101; T35.7, 248)

(Apc 3,9; 22,12.20)

Ego dilexi te, dicit Dominus, ecce venio cito;
veni, Domine Iesu, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Veni, Domine Iesu, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 129)

Domine Iesu Christe,
qui beatissimum Ioannem Apostolum tuum,
nec in vinculis exilii deseris,
nec in effosa fovea derelinquis,
annue nobis precibus eius,
ut ita nos semper pietas foveat,
qualiter hic et in aeternum, te protegente,
sceptrum nos sempiterni regni usquequaque possideat.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Dei 30 decemboris
Officium in diem sancti Iacobi, fratris sancti Ioannis Apostoli

Sollemnitas

Ad vesperum

Oblatio luminis

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Vespertinum (AL 16; Em 30, 971; Br Goth 998)

(Ps 111,4; cfr. Ps 1,6)

Exortum est in tenebris lumen rectis corde;
 misericors, et miserator, et iustus Dominus.

V/ Directam fecit viam iustorum,
 et preparavit iter Sanctorum.

R/ Misericors, et miserator, et iustus Dominus.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ Misericors, et miserator, et iustus Dominus.

Sonus (Br Goth 998)

(Sap 3,1-2)

Iustorum animae in manu Dei sunt,
 et non tanget illos tormentum mortis, alleluia.

V/ Visi sunt in oculis insipientium mori
 et aestimata est malitia exitus illorum;
 illi autem sunt in pace, alleluia.

R/ Et non tanget illos tormentum mortis, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et non tanget illos tormentum mortis, alleluia.

Antiphona (Br Goth 1306)

(4Esd 2,12; Ps 124,1)

Dabo sanctis meis regnum in Ierusalem;
 lignum enim vitae in odorem unguenti.

Et non laborabunt, neque fatigabuntur.

V/ Qui confidunt in Domino sicut mons Sion,
 non commovebitur in aeternum, qui habitat in Ierusalem.

R/ Et non laborabunt, neque fatigabuntur.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Et non laborabunt, neque fatigabuntur.

Alleluiaiticum (Br Goth 999)

(4Esd 1,32; cfr. Ex 25,8; Ps 144,13)

Sanguinem sanctorum requiram, dicit Dominus,
et habitabo cum eis in regno meo, alleluia, alleluia.

*V/ Fidelis Dominus in verbis suis,
et sanctus in omnibus operibus suis.*

R/ Et habitabo cum eis in regno meo, alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Et habitabo cum eis in regno meo, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 1306-1307)

O Dei Verbum patris ore proditum,
rerum creator, et verum principium,
auctor perennis, lux, origo luminis,
enixus alvo gloriosae Virginis,
Christe tu noster revera Emmanuel.

Rex et sacerdos, cui sacri lapides
en ter quaterni, onychinus, achates,
nitens beryllus, saphirus,
carbunculus,
vel amethystus, sardius, topazius,
smaragdus, iaspis, ligurius,
chrysolitus.

Riteque gemmis Sol, dies, duodenis
enitens horis, margaritis optimis,
illuxit mundo iam fugatis tenebris,
et candelabro tibi superposito,
micans lucernis bis senis Apostolis.

Petrusque Romam, frater eius
Achiam,
Indiam Thomas, Levi Macedoniam,
Iacobus Iebus, et Aegyptum Zelotes,

Advectus, inquam, gloriosus
praemio,
electus isthinc abitur martyrio,
Christi vocatus Zebedaei Iacobus,
apostolatus iure implens debita,
victorque rapit passionis stigmata.

Divino quippe obsitus suffragio
idem magorum sontes iras,
daemonum
coercens virus, punit aemulantia;
vivaxque demum in stolis, oraculis
in signo detur paenitens cor
credulum.

Perplexus olim voti compos
commodat
rima petenti aegro adminicula;
optanti pandit fidei charismata,
vexilla pacis ad salutis copiam,
enseque functus se communis gloria.

O vere digne sanctior Apostole,
caput refulgens aureum Hispaniae!
tutorque nobis, et patronus
vernulus,

Bartholomaeus tenens Lycaoniam,
Mathias pontum, et Philipus
Gallias.

Magni deinde filii tonitrui,
adepti fulgent prece matris inclytæ
utrique vitae culminis insignia:
regens Ioannes dextram solus
Asiam,
eiusque frater potitus Hispaniam.

Clari Magistro clateris innoxia,
adsciti dextram, pacis unus foedera
tractus: sinistram alter in
sententiam,
utrique regna, bis electa pignora
mitridepoli properant ad gloriam.

vitando pestem, esto salus caelitus;
omnino pelle morbum, ulcus,
facinus.

Adesto favens gregi, pius creditor,
mitisque pastor gregi, clero, populo;
ope superna ut fruamur gaudio,
regno potiti vestiamur gloria
aeterna; per te evadamus tartarum.

Praesta quaesumus unica Pontentia,
replensque gloria cunctam solus
machinam,
virtus perennis ingens, adesto gloria
aeterna; cuius laus est et clementia,
et honor iugis affatim per saecula.
Amen.

Versus (L4, 294)

(Ps 111,2)

V/ Potens in terra erit semen eius.

R/ Generatio rectorum benedicetur.

Supplicatio (Br Goth 1037-1038)

Oremus.

Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus:
ut per intercessionem sancti Iacobi Apostoli,
remissionem peccatorum, et pacem nobis donare dignetur.
R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison. Kyrie eleison.

Compleuria (Br Goth 1307-1308)

Subiuga, clementissime Deus, nostras tuo iugo cervices;
ut onus tuum, quod amantibus leve est,
ita optabili devotione feramus,
sicut Iacobus apostolus tuus
pro innexo collo fune ad passionem tractus est laetabundus:
atque hoc miraculo cor illudentis sibi ita compunxit,
ut eum sacramentis instructum fidei,

faceret ad gloriam pervenire martyrii;
 sicque ipse post in confessione Filii tui,
 capite desecto, interemptus occubuit,
 perveniens ad eum in pace;
 pro quo hanc sustinuit passionem.
 Ipse est enim Unigenitus tuus Filius,
 qui dedit animam suam redemptionem pro multis;
 per quem nostris, tu Deus Pater,
 iubeas parcere delictis.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus.
 et vivit et omnia regit in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (Br Goth 1308)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Christus Deus, Dei Patris Filius,
 quem Iacobus, relicto patre in navi,
 tota secutus est intentione cordis,
 indesinenter vos faciat suis inhaerere vestigiis.

R/ Amen.

Quique hoc Apostolo cultores daemonum convertit ad fidem,
 concedat nobis, vana saeculi respuendo, se in veritate diligere.

R/ Amen.

Ut eius remuneremini praesidiis,
 cuius hodie triumphum excolitis passionis.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
 qui in Trinitate unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 999)

(Cfr. Is 35,10; Ps 105,3)

Gaudium sempiternum super caput sanctorum;
laus et iucunditas apprehendet eos, alleluia, alleluia.

V/ Beati qui custodiunt iudicium,
et faciunt iustitiam in omni tempore.

R/ Laus et iucunditas apprehendet eos, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Laus et iucunditas apprehendet eos, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1308)

Christus, cuius virtus atque potentia
tantum in apostolo tuo Iacobo emicuit,
ut in nomine tuo emissis a se daemoniorum catervis,
potentialiter meruit impetrare;
tu Ecclesiam tuam ab adversantium impugnatione defende:
ut virtute spiritus exsuperando adversa,
illius doctrinam opere compleat,
cuius hodie exemplum piae passionis honorat.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (T35.4, 820, 821, 822, 834; T35.7, 186; AL 36, 50, 56, 110,
395, 444, 476, 477; Em 30, 156, 258, 311, 444, 489, 764, 1327, 1413,
1446; S6, 420)

(Ps 3, 4b)

Gloria mea, Deus, et exaltans caput meum.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Gloria mea, Deus, et exaltans caput meum.

Collecta de psalmo III
(Ut in ordinario in officio festivo)

Missa

Antiphona (Br Goth 1308)

(Ps 34,3; Sap 10,17; Ps 106,20)

Dedit ei Dominus potentiam regni
 adversus eos qui persequebantur illos.
 Et fuit illis in velamento diei,
 et in luce stellarum tota nocte.

V/ Misit verbum suum et sanavit eos,
 et eripuit eos de interitu eorum.

R/ Et fuit illis in velamento diei,
 et in luce stellarum tota nocte.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et fuit illis in velamento diei,
 et in luce stellarum tota nocte.

Oratio (Br Goth 1308)

Christus, cuius virtus atque potentia
 tantum in apostolo tuo Iacobo emicuit,
 ut in nomine tuo emissis a se daemoniorum catervis,
 potentialiter meruit impetrare;
 tu Ecclesiam tuam ab adversantium impugnatione defende:
 ut virtute spiritus exsuperando adversa,
 illius doctrinam opere compleat,
 cuius hodie exemplum piae passionis honorat.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (Br Goth 1308)

(Mt 11,28; Ier 33,15; Ps 33,12)

Venite ad me, omnes sancti mei, dicit Dominus;
 vindemiate fructum laborum vestrorum, germen iustitiae.
 Cuius odor est magnus,
 sicut odor liliarum et rosarum in tempore suo.

V/ Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.

R/ Cuius odor est magnus,
sicut odor liliorum et rosarum in tempore suo.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Cuius odor est magnus,
sicut odor liliorum et rosarum in tempore suo.

Oratio (Br Goth 1308)

Sancte et misericors Deus,
qui glorificaris in concilio sanctorum,
magnusque metuendus super omnes gentes,
potentialiter existens;
quem Iacobus, relicto Zebedaeo patre, ita secutus est,
ut obnixe diligendo
fieret electus in vita,
mundus in conscientia, probabilis in doctrina;
postremo ita scientiam commendans in opere,
ut pro te truncato interierit capite,
quem pro se vel omnibus noverit animam possuisse:
tu, Domine,
precibus nostris eius obtentu fave placatus,
ut veniam nostrorum mereamur apud te obtainere delictorum.

R/ Amen.

Praestante ipsis misericordia Dei nostri,
qui in Trinitate, unus Deus,
vivit et gloriatur in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (Br Goth 1308)

(Cfr. Is 66,14; cfr. Ps 117,25)

Sanctorum ossa germinabunt de loco suo,
et nomina eorum sicut lilia munda floruerunt.

V/ O Domine, salvos nos fac; o Domine, bona prosperare.

R/ Et nomina eorum sicut lilia munda floruerunt.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et nomina eorum sicut lilia munda floruerunt.

Oratio (Br Goth 1308-1309)

Pretiosa est tuo, Domine, in conspectu
mors sanctorum tuorum:

qui ad te vocans Iacobum apostolum utique tuum,
 in navi retia componentem,
 spiritualibusque doctrinis populos ut erudiret, elegisti,
 et pro effusione sui sanguinis laetaretur in caelo:
 petimus omnipotentiam tuam,
 ut, dum praesentia mala patientissime toleraverimus,
 et nunc et in aeternum in pace et caritate,
 tecum sine fine vivamus.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (Br Goth 1309)

(Cfr. Is 6,3; Apc7,9-10)

Sancti qui certamen habuerunt pro fide,
 inimicus in eis potestatem non habebit,
 quia clamaverunt una voce dicentes:
 Sanctus Deus, Sanctus fortis, exaudi nos;
 Sanctus immortalis, miserere nobis.

V/ Vidi in caelo turbam magnam,
 quam dinumerare nullus poterat,
 et clamabant voce magna dicentes:

R/ Sanctus Deus, Sanctus fortis, exaudi nos;
 Sanctus immortalis, miserere nobis.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. *Amen.*

R/ Sanctus Deus, Sanctus fortis, exaudi nos;
 Sanctus immortalis, miserere nobis.

Oratio (L4, 313)

Suscipe, Domine, a nobis sacrificium matutinum
 in honorem apostoli tui Iacobi,
 oris nostri laudis iubilo delibatum.

Ut cum eo tartareum evadentes supplicium,
 meritis eius caelibem adipiscamus municipatum.

R/ Amen.

Praestante ipsius misericordia Dei nostri,
 qui in Trinitate, unus Deus,
 vivit et gloriatur in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psalmus L

Antiphona (Br Goth 1000, 1005, 1022, 1169, 1246; AL 353, 417; L4, 229)

(Cfr. Ps 50,14)

Da nobis laetitiam salutaris tui; spiritu principali confirma nos, Domine.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Da nobis laetitiam salutaris tui; spiritu principali confirma nos, Domine.

Oratio (Br Goth 1000, 1169)

Redde nobis, Domine, laetitiam salutaris tui,
quam amisimus inique gerendo,
et praetermissimus negligendo;
Tu ad eam nos revoca, et eam nobis restaura,
ut peccato expulso, succedat iustitia;
et maestitia expulsa, adsit laetitia:
da, quae sumus, hanc iucunditatem,
ut pervenire mereamur ad aeternam salutem.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Canticum VT (Br Goth 1001-1002)

(Idc 5,2-31)

Antiphona (Br Goth 1309)

(Idc 5,9.11)

Qui propria voluntate obtulisti vos discrimini, benedicite
Dominum narrantes iusticias eius et clementiam in fortis Israel.

“Quia comae excussae sunt in Israel, + cum sponte se obtulit
populus, * benedicite Domino!

Audite, reges, percipite auribus, principes; + ego sum, ego
sum, quae Domino canam, * psallam Domino Deo Israel!

Domine, cum exires de Seir, * incederes de regione Edom,
terra mota est, caelique stillaverunt, * ac nubes stillaverunt
aquis;

montes fluxerunt a facie Domini Sinai, * a facie Domini Dei
Israel.

In diebus Samgar filii Anath, * in diebus Iahel quieverunt
semitae;

et, qui ingrediebantur per eas, * ambulaverunt per calles devios.

Cessaverunt fortis in Israel et quieverunt, + donec surgeres, Debora, * surgeres mater in Israel.

Elegerunt deos novos; * tunc erat pugna in portis.

Clipeus et hasta non apparuerunt + in quadraginta milibus Israel. * Cor meum diligit principes Israel.

Qui sponte obtulisti vos in populo, * benedicte Domino!

Qui ascenditis super nitentes asinas et sedetis super tapetia, * et ambulatis in via, loquimini.

Ad vocem eorum, qui distribuunt aquas ad canales, * ibi narrant iusticias Domini,

iusticias fortitudinis eius in Israel: * tunc descendit populus Domini ad portas.

Surge, surge, Debora; * surge, surge et loquere canticum!

Surge, Barac, et apprehende captivos tuos, * fili Abinoem!

Tunc descenderunt reliquiae ad inclitos, * populus Domini descendit pro eo in fortibus.

Ex Ephraim venerunt principes in vallem * post te, Beniamin, in populis tuis.

De Machir principes descenderunt, * et de Zabulon, qui tenent sceptrum, praefecti.

Duces Issachar fuere cum Debora; * sic Barac in vallem missus cum peditibus suis.

In pagis Ruben magna consilia cordis. + Quare sedebas inter caulas, * ut audias sibilos tibiae apud greges?

Pagis Ruben magnae investigationes cordis. + Galaad trans Iordanem quiescebat; * et Dan cur peregrinus vacabat navibus?

Aser habitabat in litore maris * et in portibus morabatur.

Zabulon vero obtulit animam suam morti, * et Nephtali super excelsa regionis.

Venerunt reges et pugnaverunt, * pugnaverunt reges Chanaan in Thanach iuxta aquas Megeddo, * praedam argenti non tulere!

De caelo dimicaverunt stellae, * cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.

Torrens Cison traxit cadavera eorum, + torrens proeliorum, torrens Cison; * incede, anima mea, fortiter.

Tunc calcaverunt ungulae equorum * in cursu praecipiti fortium suorum.

Maledicite, Meroz, dixit angelus Domini, * maledicite habitatoribus eius,

quia non venerunt ad auxilium Domini, * in adiutorium Domini in fortibus.

Benedicta prae mulieribus Iahel uxor Haber Cinaei, * prae mulieribus tabernaculi benedicatur!

Aquam petenti lac dedit * et in phiala principium obtulit butyrum.

Sinistram manum misit ad clavum * et dexteram ad fabrorum malleum:

percussitque Sisaram quaerens in capite vulneri locum * et tempus valide perforans.

Inter pedes eius ruit, cecidit, iacebat; + inter pedes eius ruit, cecidit, * ubi ruit, ibi iacebat exanimis.

Per fenestram prospiciens eiulabat * mater Sisarae per cancellos:

“Cur moratur regredi currus eius? * Quare tardant rotae quadrigarum illius?”.

Una sapientior ceteris uxoribus respondit ei, * et ipsa sibi repetit verba illius:

“Certo nunc dividunt inventa spolia, * unam, duas feminas singulis viris;

duas vestes diversorum colorum * Sisarae in praedam; unam, duas texturas discolores * collo meo in praedam”.

Sic pereant omnes inimici tui, Domine! + Qui autem diligunt eum, rutilent, * sicut sol in ortu suo splendet”.

Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto, * in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Qui propria voluntate obtulisti vos discrimini, benedicite Dominum narrantes iusticias eius et clementiam in fortis Israel.

Oratio de cantico (Br Goth 1147)

Christe Dei Filius,

qui praecedentibus prophetis novae gratiae filios introducis, dum apostolos prophetis,

quasi filios patribus, succedere facis;

qui propria voluntate animas suas offerunt,

quorum sors utique inter sanctos inventa est,

quia praedicatio apostolorum

praecedentium prophetarum est vaticinio roborata:

te poscimus et rogamus

ut, qui utroque testamentorum radiis

dispositionem mirificam ordinasti,

qua in veritatis ostensionem

digne facis atque pulcherrime veteribus nova succedere,

facias nos ipsis apostolis tuis heredes semper existere;
ut quia per illos suscepimus fidem,
cum his etiam habeamus te semper hereditatem.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Benedictiones

Antiphona (Br Goth 1002)

(Dn 3,87.86)

Sancti et humiles corde, spiritus et animae iustorum,
benedicite Dominum.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Sancti et humiles corde, spiritus et animae iustorum, benedicite
Dominum.

Oratio de benedictionibus

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Sonus (Br Goth 1002)

(Cfr. Ps 36,40; cfr. Ps 83,3)

Salus iustorum a Domino est,
et salvabit eos, alleluia, alleluia.

V/ Quia speraverunt in Deum vivum.

R/ Et salvabit eos, alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Et salvabit eos, alleluia, alleluia.

Psalmi laudate 148-150

Antiphona (Br Goth 992, 996, 998, 1002, 1007, 1010, 1028, 1032,
1062, 1072, 1105, 1114-1115, 1118, 1122-1123, 1127, 1132, 1137,
1142, 1147, 1151, 1157, 1204, 1217, 1264, 1283, 1298)

(Ps 148,1)

Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis,
alleluia.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis,
alleluia.

Lectio (Br Goth 1007)

(Sap 3,1-8)

Lectio libri Sapientiae Salomonis.

R/ Deo gratias.

Iustorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, et aestimata est afflictio exitus illorum et, quod a nobis est iter, exterminium; illi autem sunt in pace.

Etenim, si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est; et in paucis correpti, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit eos et invenit illos dignos se.

Tamquam aurum in fornace probavit illos et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore visitationis illorum fulgebunt et tamquam scintillae in arundinetu discurrent; iudicabunt nationes et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 1309-1310)

Gaudet cuncta pia plebs alumna:
resultet voce simul et cruore:
pacis foenore semper Christum roget
laudis honore.

Verum agnosco, ait, Salvatorem,
teque exposco, Sancte intercessor:
veniam, credo, Domino favente,
te dare posse.

Veritas, vita, spes semper tranquilla
in tui almi Iacobique sancti
iam cruciamur, ignibus cremamur
catenis magnis.

Sustulit post hinc ferientis ulcus;
at collo fune tractatus, colligatur
sic ab Herode capite plectitur,
sic ordinatur.

Magnus hic ait Dominusque noster:
dira resolve ignea catena
nihil nocente: mihi nunc afferte
magum iniquum;

Et ducunt vincum transeuntem
vicum,
claudus ab eo quaerit alimentum,
cuius virtute agitur rectus, sanus
pergit ad horam.

Ad cuius iussu protinus occurserunt:
eum iam victimum ante pedes sistunt;
ut dimicentur, atque vindicentur,
et crucientur.

Tunc cernit tortor clodo gressu dato
sic afflatus: Christus collaudatur;
cuius virtute aegris salus datur
per suos sanctos.

Respic post hinc te habere patrem
quamquam iniquum, generi humano
Christum quem negabas, creatorem
esse,
verum agnosce.

Gloriam psallat chorus, et resultet;
gloriam dicat, canat, et revolvat:
nomini trino, deitati soli
sidera clament. Amen.

Versus (L4, 294)
(Ps 111,2)

V/ Potens in terra erit semen eius.
R/ Generatio rectorum benedicetur.

Supplicatio (Br Goth 1037)

Oremus.
Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus:
ut per intercessionem sancti Iacobi Apostoli,
remissionem peccatorum,
et pacem nobis donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison. Kyrie eleison.

Completuria (Br Goth 1307-1308)

Subiuga, clementissime Deus, nostras tuo iugo cervices;
ut onus tuum, quod amantibus leve est,
ita optabili devotione feramus,
sicut Iacobus apostolus tuus
pro innexo collo fune, ad passionem tractus est laetabundus:
atque hoc miraculo cor illudentis sibi ita compunxit,
ut eum sacramentis instructum fidei,
faceret ad gloriam pervenire martyrii;
sicque ipse post in confessione Filii tui,
capite desecto interemptus,
occubuit perveniens ad eum in pace;
pro quo hanc sustinuit passionem.

Ipse est enim Unigenitus tuus Filius,
qui dedit animam suam redemptionem pro multis;
per quem nostris, tu Deus Pater, iubeas parcere delictis.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus
et vivit et omnia regit in saecula saeculorum.

R/ Amen.

*Pater noster**(Ut in ordinario in officio festivo)**Petitio**(Ut in ordinario in officio festivo)**Benedictio* (Br Goth 1308)*Diac.* Humiliate vos benedictioni.*Presb.* Dominus sit semper vobiscum.*R/* Et cum spiritu tuo.

Christus Deus, Dei Patris Filius,
 quem Iacobus, relicto patre in navi,
 tota secutus est intentione cordis,
 indesinenter vos faciat suis inhaerere vestigiis.

R/ Amen.

Quique hoc Apostolo cultores daemonum convertit ad fidem,
 concedat nobis, vana saeculi respuendo, se in veritate diligere.

R/ Amen.

Ut eius remuneremini praesidiis,
 cuius hodie triumphum excolitis passionis.

R/ Amen.

Adiuvante Domino nostro Iesu Christo,
 qui in Trinitate unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

*R/ Amen.**Psallendum* (Br Goth 999)*(Cfr. Is 35,10; Ps 105,3)*

Gaudium sempiternum super caput sanctorum;
 laus et iucunditas apprehendet eos, alleluia, alleluia.

V/ Beati qui custodiunt iudicium,
 et faciunt iustitiam in omni tempore.

R/ Laus et iucunditas apprehendet eos, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

*R/ Laus et iucunditas apprehendet eos, alleluia, alleluia.**Oratio* (Br Goth 1308)

Christus, cuius virtus atque potentia
 tantum in apostolo tuo Iacobo emicuit,
 ut in nomine tuo emissis a se daemoniorum catervis,

potentialiter meruit impetrare;
tu Ecclesiam tuam ab adversantium impugnatione defende:
ut virtute spiritus exsuperando adversa,
illius doctrinam opere compleat,
cuius hodie exemplum piae passionis honorat.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Conclusio

(Ut in ordinario in officio festivo)

Eodem die ad vesperum

(Omnia dicantur ut in officio vespertino praecedenti)

**Die 31 decembris
Officium in diem sanctae Columbae virginis et martyris**

Memoria

Ad matutinum

Psalmus III

Antiphona (Br Goth 88, 237)

(Ps 3,4)

Gloria mea, Deus, et exaltans caput meum.

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ant. Gloria mea, Deus, et exaltans caput meum.

Collecta de psalmo III

(Ut in ordinario in officio festivo)

Missa

Antiphona (AL 104; L4, 341; Em 30, 978)

(Ct 6,8; Ps 44,11.5)

Una et perfecta Ierusalem, quae facta est genetricis sua;

viderunt eam filiae et beatam dixerunt reginam,

et laudaverunt eam dicentes:

quae est haec quae prospicit quasi lumen.

V/ Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam.

R/ Et laudaverunt eam dicentes:

quae est haec quae prospicit quasi lumen.

V/ Propter veritatem et iustitiam,

et deducet te mirabiliter dextera tua.

R/ Et laudaverunt eam dicentes:

quae est haec quae prospicit quasi lumen.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,

in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et laudaverunt eam dicentes:

quae est haec quae prospicit quasi lumen.

Oratio (OV 353; L4, 342; Em 30, 979; Br Goth 1311)

Una et perfecta es, virgo Christi Columba,
quae et unitate fidei clara,
et perfectione operum monstraris esse conspicua:
fac nos ergo, precibus tuis,
intra sinum matris Ecclesiae ita inculpabiliter degere,
ut coronandi ad promissa mereamur caelestia pervenire.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Antiphona (AL 104; L4, 343; Em 30, 984; Br Goth 1311)

(Ct 2,14; 4,7; Ps 44,5)

Una es proxima mea, una es columba mea,
et macula non est in te.

V/ Speciem tuam et decorum tuum, intende,
prospere, procede et regna.

R/ Et macula non est in te.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Et macula non est in te.

Oratio (OV 354; L4, 344; Em 30, 981; Br Goth 1311)

Una nec divisa proxima tua, Christe, ecclesia;
una est ecce Columba,
quae nec in fide habens rugam, nec in opere maculam:
interpellet te, quae sumus, pro criminibus nostris,
ut, in eius corpore felicitate perpetua consistentes,
aeternorum civium mereamur esse participes.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus,
et vivit et omnia regit in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Alleluiaiticum (AL 104; L4, 345; Em 30, 982)

(Ps 147,1)

Bona es proxima mea ut bona voluntas, alleluia;
speciosa ut Ierusalem, alleluia, alleluia.

V/ Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.

R/ Speciosa ut Ierusalem, alleluia, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Speciosa ut Ierusalem, alleluia, alleluia.

Oratio (OV 355; L4, 346; Em 30, 983; Br Goth 1311-1312)

Bona est, Domine, proxima tua virgo Columba,
quae, dum proxima tibi efficitur soror,
tuo de sanguine speciosa mostratur per propriam passionem:
eius ergo interventu, passionum a nobis maculas terge,
ut, speciosi a te et votis et operibus redditi,
portas aeternae Ierusalem mereamur introire beati.

R/ Amen.

Per ineffabilem bonitatem tuam, Deus noster,
qui vivis et cuncta dominaris in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Responsorium (AL 104)

(Ct 1,14; 2,14; Ps 44,5)

Columba mea, quam pulchra es et quam decora
sicut munilia ornamentorum,
perfecta es ut vitis,
tota speciosa inter filias Ierusalem, alleluia.

V/ Speciem tuam et pulchritudinem tuam,
intende, prospere, procede et regna.

R/ Inter filias Ierusalem, alleluia.

V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.

R/ Inter filias Ierusalem, alleluia.

Oratio (Br Goth 1311)

Omnipotens sempiterne Deus,
qui beatam Columbam virginem et martyrem tuam,
per martyrii palmam hodierna die fecisti descendere gloriam:
da nobis, eius suffragantibus meritis,
cuncorum veniam delictorum,
ut ad eiusdem mereamur pertingere consortia.

R/ Amen.

Per tuam magnam misericordiam, Deus noster,
qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psalmus L

Antiphona (AL 57, 262, 377, 424; OV 547; Em 30, 338, 537; L4, 189;

T35.7, 215)

(Ps 50,16)

Libera me de viri sanguinum, Deus salutis meae.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Libera me de viri sanguinum, Deus salutis meae.

Oratio (Br Goth 1027)

Exultent, Domine, labia nostra praeconio veritatis,
 ut non resolvantur vaniloquio falsitatis:
 sicque lingua nostra iudicium veritatis loquatur,
 ut Christum tuum verum iudicem,
 promptissima devotione laudet,
 atque ita praecepta tua assidue in nostro corde versentur,
 ut gressus nostri ab insidiosis decipulis minime supplantentur.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Canticum VT (AL 104; L4, 349; Br Goth 871)

(Is 61, 10-11; 62, 1-7)

Antiphona (AL 104)

(Is 61,10)

Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo
 meo.

Gaudens gaudebo in Domino, * et exultabit anima mea in
 Deo meo,

quia induit me vestimentis salutis * et indumento iustitiae
 circumdedit me,

quasi sponsum decoratum corona * et quasi sponsam
 ornatam monilibus suis.

Sicut enim terra profert germen suum * et sicut hortus semen
 suum germinat,

sic Dominus Deus germinabit iustitiam * et laudem coram
 universis gentibus.

Propter Sion non tacebo * et propter Ierusalem non quiescam,
 donec egrediatur ut splendor iustitia eius, * et salus eius ut
 lampas accendatur.

Et videbunt gentes iustitiam tuam * et cuncti reges gloriam tuam;
 et vocaberis nomine novo, * quod os Domini nominabit.
 Et eris corona gloriae in manu Domini * et diadema regni in manu Dei tui.
 Non vocaberis ultra Derelicta, * et terra tua non vocabitur amplius Desolata;
 sed vocaberis Beneplacitum meum in ea, * et terra tua Nupta,
 quia complacuit Domino in te, * et terra tua erit nupta.
 Nam ut iuvenis uxorem dicit virginem, * ita ducent te filii tui;
 ut gaudet sponsus super sponsam, * ita gaudebit super te Deus tuus.
 Super muros tuos Ierusalem constitui custodes; * tota die et tota nocte, in perpetuo non tacebunt.
 Qui commonetis Dominum, ne taceatis * et ne detis silentium ei,
 donec stabiliat et donec ponat Ierusalem * laudem in terra.
 Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto, * in saecula saeculorum. Amen.

Ant. Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo.

Oratio de cantico

Benedictiones

Antiphona (AL 104; L4, 350)

(Cfr. Dn 3,17)

Liberavit me de medio flammae de camino ignis ardentis.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Liberavit me de medio flammae de camino ignis ardentis.

Oratio de benedictionibus

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Sonus (AL 53, 104)

(Ps 44, 11-16)

Audi filia et vide, et inclina aurem tuam,
 quia concupivit rex pulchritudinem tuam, alleluia.
 V/ Ipse est Dominus Deus tuus,
 et adorabunt eum filiae in muneribus,

Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis,
omnis gloria eius.
R/ Quia concupivit rex pulchritudinem tuam, alleluia.
V/ Offeruntur regi virgines post eam,
proximae eius adducentur tibi,
in laetitia et exultation adducentur in templo regis.
R/ Quia concupivit rex pulchritudinem tuam, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.
R/ Quia concupivit rex pulchritudinem tuam, alleluia.

Psalmi laudate 148-150

Antiphona (Br Goth 992, 996, 998, 1002, 1007, 1010, 1028, 1032, 1062, 1072, 1105, 1114-1115, 1118, 1122-1123, 1127, 1132, 1137, 1142, 1147, 1151, 1157, 1204, 1217, 1264, 1283, 1298)
 (Ps 148,1)

Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis,
alleluia.

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Ant. Laudate Dominum de caelis, alleluia; laudate eum in excelsis,
alleluia.

Lectio (Br Goth 1028-1029)

(Ier 31, 3-7)

Lectio libri Ieremiae prophetae.

R/ Deo gratias.

De longe Dominus apparuit mihi: “In caritate perpetua
dilexi te; ideo attraxi te in misericordia. Rursumque aedificabo
te, et aedificaberis, virgo Israel; adhuc ornaberis tympanis tuis et
egredieris in choro ludentium. Adhuc plantabis vineas in montibus
Samariae; plantabunt plantantes et vindemiabunt.

Quia erit dies, in qua clamabunt custodes in monte Ephraim:
“Surgite, et ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum”.

Quia haec dicit Dominus: Exultate in laetitia propter Iacob et
himnite capiti gentium; personate, canite et dicite: “Salva, Domine,
populum tuum, reliquias Israel”.

R/ Amen.

Hymnus (Br Goth 1310)

Nardus Columbae floruit,
ligustra flagrant hortuli;
fulcite laetam floribus,
stipate malis virginem.

Haec Regis apta amplexibus,
et osculis: gratissima
Christo fidem, quam sponderat
cruoris arrha consecrat.

Igne gemellos saeculi
stravit, subegit, depulit;
flammam petulcam Barbari,
focosque admotos sibi.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
cum Spiritu Paraclito
regnans per omne saeculum. Amen.

Cum in lupanar posita
intrantes ad se, luridam
libidinem compescuit,
seseque flammis exurit.

Sic liberata ab ignibus,
locis retracta scenicis,
mucrone stricto plectitur,
nuptura caelo adsiscitur.

Cui vox ab astris resonans:
veni Columba, personat;
Tu vocibus nostris favens,
fac nos polorum compotes.

Versus (L4, 337; AL 56)
(Cfr. Ps 44,5)

V/ Speciem et pulchritudinem tuam
R/ Intende, prospere, procede et regna.

Supplicatio (Br Goth 1310)

Oremus.
Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut nos gratia nativitatis suae,
et per intercessionem sanctae Columbae
virginis et martyris suae,
nobis remissionem, et pacem donare dignetur.

R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Kyrie eleison

R/ Christe eleison. Kyrie eleison.

Compleuria (OV 356; L4, 352; Em 30, 987; Br Goth 1312)

Domine Iesu Christe,
qui sermonibus Columbae beatissimae virginis

evertis sensum iuvenis petulantis,
 ut, qui nomen Christi blasphematurus
 ad virginis prostitutionem ingreditur,
 praedicator Christi esse, egrediens mostraretur:
 da nobis meritis virginis tuae,
 ut de malis actibus vitam in melius commutemus,
 quo incentivis carentes libidinum,
 aeternorum mereamur percipere praemia gaudiorum.

R/ Amen.

Per misericordiam ipsius Christi Dei nostri,
 qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus Deus,
 vivit et regnat in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 357; L4, 353; Em 30, 988; Br Goth 1312)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Deus, qui unitate et perfectione Columbae virginis gaudet,
 innocentia vos columbarum remuneret.

R/ Amen.

Et, qui sidereis vocibus intonans,
 apertis eius meritis nuntiat caelis,
 vos in caelestibus collocet sedibus munerandos.

R/ Amen.

Ut, quo illa oblectatur post gloriam passionis,
 illic muneranda semper nostrae dirigatur acies mentis.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 1026)

(Ps 147,1)

Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, alleluia.
 Pulchritudo tua similis est palmae indesinentis
 in plenitudine claritatis, alleluia, alleluia, alleluia.
V/ Lauda Ierusalem Dominum, et collauda Deum tuum Sion.
R/ Pulchritudo tua similis est palmae indesinentis
 in plenitudine claritatis, alleluia, alleluia, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Pulchritudo tua similis est palmae indesinentis
 in plenitudine claritatis, alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1311)

Omnipotens sempiterne Deus,
 qui beatam Columbam virginem et martyrem tuam,
 per martyrii palmam hodierna die fecisti descendere gloriam:
 da nobis, eius suffragantibus meritis,
 cunctorum veniam delictorum,
 ut ad eiusdem mereamur pertingere consortia.
R/ Amen.
 Per ineffabilem bonitatem tuam, Deus noster,
 qui vivis et cuncta dominaris in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Conclusio

(Ut in ordinario in officio festivo)

Ad vesperum*Oblatio luminis*

(Ut in ordinario in officio festivo)

Vespertinum (Br Goth 1025-1026)

(Ps 129,5.4.2)

Speravit anima mea in Domino,
 a custodia matutina usque ad noctem.
V/ Sustinuit anima mea in verbo tuo, Domine.
 Fiant aures tuae intendententes in orationem ancillae tuae.
R/ Usque ad noctem.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Usque ad noctem.

Sonus (Br Goth 1026)

(Ps 9,3; Ps 60,9; Ps 72,24; Ps 60,4-5)

Alleluia, psallam nomini tuo, Deus, in saecula.

Ut reddam vota mea de die in diem, alleluia.

*V/ Deduxisti me, Domine, quia factus es fiducia mea;
turris fortitudinis a facie inimici.*

Habitabo in sanctuario tuo, Deus, in saecula.

R/ Ut reddam vota mea de die in diem, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

R/ Ut reddam vota mea de die in diem, alleluia.

Antiphona (AL 103)

(Ct 2,14; 7,6; 4,4; 1,8; 4,7; Ps 44,5)

Columba mea quam puchra es et quam decora.

Sicut turris David tota speciosa es amica mea,
et macula non est in te.

*V/ Speciem tuam et pulchritudinem tuam,
intende, prospera, procede et regna.*

*R/ Sicut turris David tota speciosa es amica mea,
et macula non est in te.*

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
in saecula saeculorum. Amen.*

*R/ Sicut turris David tota speciosa es amica mea,
et macula non est in te.*

Alleluiaiticum (AL 103; L4, 336)

(Ct 2,14.10; 7,6; Ps 147,1)

Columba mea surge et veni, in deliciis ponam te, alleluia;
ad prebendam fructus tuos, alleluia, alleluia.

V/ Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.

R/ Ad prebendam fructus tuos, alleluia, alleluia.

*V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto, in saecula
saeculorum. Amen.*

R/ Ad prebendam fructus tuos, alleluia, alleluia.

Hymnus (Br Goth 1310)

Nardus Columbae floruit,
ligustra flagrant hortuli;
fulcite laetam floribus,
stipate malis virginem.

Haec Regis apta amplexibus,
et osculis: gratissima
Christo fidem, quam sponderat
cruoris arrha consecrat.

Igne gemellos saeculi
stravit, subegit, depulit;
flammam petulcam Barbari,
focosque admotos sibi.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
cum Spiritu Paraclito
regnans per omne saeculum. Amen.

Cum in lupanar posita
intrantes ad se, luridam
libidinem compescuit,
seseque flammis exurit.

Sic liberata ab ignibus,
locis retracta scenicis,
mucrone stricto plectitur,
nuptura caelo adsiscitur.

Cui vox ab astris resonans:
veni Columba, personat;
Tu vocibus nostris favens,
fac nos polorum compotes.

Versus (L4, 337; AL 56)
(Cfr. Ps 44,5)

V/ Speciem et pulchritudinem tuam
R/ Intende, prospere, procede et regna.

Supplicatio (Br Goth 1310)

Oremus.
Redemptorem mundi, Dominum nostrum Iesum Christum,
cum omni supplicatione rogemus;
ut nos gratia nativitatis suaee,
et per intercessionem sanctae Columbae
virginis et martyris suaee,
nobis remissionem, et pacem donare dignetur.
R/ Praesta aeterne omnipotens Deus.

Compleuria (OV 351; L4, 338; Br Goth 1310)

Deus, qui beatissimam Columbam
columbarum simplicitate fecisti esse mirificam,
ut innocentia fidei christiana te,
et virgo sequeretur et martyr,

dum tibi et corpus intactum servavit,
 et victrix martyr adhaesit;
 dum a te ad te formata e caelis voce vocatur,
 et per te in caelis mirifice coronatur:
 optata nostris mentibus gaudia praesta;
 ut eius meritis nostrorum criminum victores effecti,
 in caelestibus mereamur sedibus collocari.

R/ Amen.

Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus,
 et vivis et omnia regis in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Pater noster

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Petitio

(*Ut in ordinario in officio festivo*)

Benedictio (OV 352; L4, 339; Br Goth 1311)

Diac. Humiliate vos benedictioni.

Presb. Dominus sit semper vobiscum.

R/ Et cum spiritu tuo.

Deus qui beatissimam Columbam virginem,
 victricem esse voluit flammae,
 extinguat in vobis omnis carnis titillationis ardorem.

R/ Amen.

Et per quem illa caelesti voce meruit evocari ad praemium,
 per eum vos mereamini sanctitatis obtinere propositum.

R/ Amen.

Ut, exemplo eius,
 sicut illa pro Deo cervices suas materiali subdit gladio,
 ita vos, animas vestras divino semper subiugetis imperio.

R/ Amen.

Adiuvante dextera tua, Deus noster,
 qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R/ Amen.

Psallendum (Br Goth 1026)

(Ps 147,1)

Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, alleluia.
 Pulchritudo tua similis est palmae indesinenter

in plenitudine claritatis, alleluia, alleluia, alleluia.
V/ Lauda Ierusalem Dominum, et collauda Deum tuum Sion.
R/ Pulchritudo tua similis est palmae indesinentis
 in plenitudine claritatis, alleluia, alleluia, alleluia.
V/ Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto,
 in saecula saeculorum. Amen.
R/ Pulchritudo tua similis est palmae indesinentis
 in plenitudine claritatis, alleluia, alleluia, alleluia.

Oratio (Br Goth 1311)

Omnipotens sempiterne Deus,
 qui beatam Columbam virginem et martyrem tuam,
 per martyrii palmam hodierna die fecisti descendere gloriam:
 da nobis, eius suffragantibus meritis,
 cunctorum veniam delictorum,
 ut ad eiusdem mereamur pertingere consortia.
R/ Amen.
 Per ineffabilem bonitatem tuam, Deus noster,
 qui vivis et cuncta dominaris in saecula saeculorum.
R/ Amen.

Conclusio

(Ut in ordinario in officio festivo)

**Die 3 ianuarii
Officium in diem Sancti Ioseph, sponsi Sanctae Mariae Virginis**

Sollemnitas

Omnia dicantur ut in Communi unius Confessoris